45

CHRISTI REDEMTORIS AUSPICIO
Decreto & Autoritate
Magnifici, Nobiliſſimi & Ampliſſimi, JCTORUM Ordinis in Celebri Witteberga.

PRÆSIDIO

VIRI

Magnifici, Nobiliſſimi, Ampliſſimi, ac Juriſconſultiſſimi

DN. JEREMIÆ REUSNERI, JCTI FAMIGERATISSIMI, ANTECESSORIS PRIMARII, FACULTATIS JURIDICÆ ORDINARII Eminentiſſimi, Senioris Venerandi, Curiæ Electoralis Conſiſtorij Eccleſiaſtici & Scabinatus Aſſeſſoris Graviſſimi, Domini Patroni, Promotoris, & Præceptoris ſui, omni pietate, & filiali patientiæ cultu ætatem proſequendi.

DELIBATIONEM

CAPTIVITATIS ET POSTLIMINII,

PRO

LICENTIA

In Utroq; Jure honores & privilegia ritè & ſolenniter conſequendi
Ad diem Septembr.

In Auditorio Majori, horis ſolitis ante & pomeridianis

Publico Eruditorum Examini ſubmittit

FRIDERICUS Von JENA
Serveſtâ-Anhaltinus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

WITTEBERGÆ
Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typog.
ANNO M DC XLV.

Sereniſsimo atq; Celſiſsimo Principi & Domino, Domino

CHRISTIANO,

PRINCIPI ANHALTINO,
COMITI ASCANIÆ,
DOMINO BERNBURGI AC SERVESTAE,

Clementiſsimo Principi ac Domino ſuo

humilimè

O. & C.

FRIDERICUS Von JENA.

FELICITER.

I.

CONſideranda captivitas, vel Externe, vel Interne eſt

Illo modo quoad definitum ſeu Vocem, hoc quoad definitionem ſeu rem ipſam.

II.

Continet Externa conſideratio Notationem & Significationem.

III.

Demonſtrat Notatio unde dicatur Captivitas.

Quod ut alias per ſe planum, ita omnes conſtituunt à capiendo eam derivari, id vero eſt ad ſe transferre aliquid, ſive aliunde oblatum, ſive non *Matth. Mart. in Lexic. Philolog. Verb. Capio*, & capere eſt cum effectu accipere, ita ut ſtatim accipiens Dominus aut quaſi fiat, vel certe ne res ſibi invito avocari poſſit *Vultej. in Comm. Inſtit. de Uſucap. n. 3. l. non videtur quiſquam l. ex qua perſona 149. de R. Jur. l. ex facto § fin. de V. & P. S. l. 71 de V. S.* quo ſenſu pro uſucapere venit *l. bona fidei § 1. de A. R. D. l. 3 l. 12 l. 44 de damn. infect. l. juſto § filius famil. de Uſucap.* & ſexcentis locis aliis longo tempore capere pro Uſucapere poſitum eſt *Ant. Govean lib. 1 Var. lect. cap 29. n. 1.* Ita ut capere proprie ſumtum ſemper effectum habeat Dominium transferendi, cum uſucapio nondum completa vel perfecta uſucapio recte non dicatur, neque Dominum faciat ſed bonæ fidei poſſeſſorem *Ægid. Hortenſ. ad § namq; I. de act. pag. 401.* cui nec directa rei vindicatio ſed publiciana competit *d. § namq; I. de act.* Ubi quis dicit ſe Uſucepiſſe quod non uſucepit, ut non videat argumentari poſſe, cui competit publiciana is Dominus eſt. Bonæ fidei poſſeſſori competit publiciana. E. Conſtat ſiquidem non in Omnibus comparari B. F. p. vero Domino, quod ſi enim verus & proprie dictus Dominus eſſet non demum neceſſe haberet Dominium per uſucapionem ſibi quærere, nunquam ergo aliter, niſi ſub qualitate bonæ fidei poſſeſſoris Publiciana competit *Bach. de act. diſp. 3 th. 17 verſ. arg. in dubio Dn. Henric. Beſſel. ad pand. diſp. 11 th. ult.* Quoddam Dominium

præſupponere Vis? Color tantùm Dominii eſt, non Dominium, pro quò Vindicando detur directa actio, Publiciana qui utitur præſumtive tantum Dominus eſt *Bacb. d.l.* & ei quaſi Domino reſtituere poſſeſſor tenetur, ſub colore Dominii & quaſi impletæ uſucapionis. *Bacb.in Comm. Inſt. ad d. § 4. I. de Act. pag.934.* Is qui uſucapionem non implevit, dominus nondum eſt: propter tamen bonam fidem, & juſtam cauſam, ex qua rem antea poſſedit, Prætor eum quaſi pro Domino habet, & adverſus detinentem minori Jure rei incubantem potiorem eſſe voluit *Dominus Frantz. in Comment. ad tit. de Public. in Rem. act. n.3.* Hinc Publiciana dicitur dari pro quaſi dominio, quod medium locum obtinet inter poſſeſſionem qua Validius, & proprietatem qua imbecillius eſt. *Joh. Tav ind. ad § 3. I. de act. n.3.* Nihil per eam Domino auferri, aut in ejus incommodum vergere, ſed ejus ſolum, qui ipſe nihil vel minus juris habet, collatus actori *Hillig. D.E. lib. 20. cap. 8. lit. R.* Sic Papinianus exceptio inquit juſti Dominii Publicianæ objicienda eſt in *l. 16. de Publ. in Rem. act.* & Neratius, publiciana actio non ideo comparata eſt ut res Domino auferatur, ſed ut is qui bona fide emit poſſeſſionemq; ejus ex ea cauſa nactus eſt, potius rem habeat in *l. ult. d t.* Deniq; conſtat ait *Bacb. in not. ad Tr. Vol.1. diſp.15. § 13. lit. a pag. 617.* Pro non Dominus hanc actionem introductam, puto nunc manifeſtiſſime conſtare B. f. poſſeſſorem & Dominum opponi, & eo ipſo quòd B. f. p. publiciana tantum in defectum actionis Civilis, à Prætore data ſit, *l. 1. de publ. in rem act. Æg. Hortenſ. d.l.* Dominum non eſſe. Cæterùm ſupra dictis de Vi & efficacia Verbi capere non contrariatur, *l. 164. de V. S.* ubi JC. Paulus cepiſſe inquit quis intelligitur, quamvis aliis acquiſivit, Nam quando dicitur non videri eum id capere, quod neceſſe habet alii reſtituere, verùm eſt ubi accipiendo quid ipſemet qui accipiebat acquirere ſibi debebat, ſecus vero qui ipſo Jure ſibi nihil, ſed ipſo momento ſtatim aliis acquirunt, quemadmodum hoc ipſum in perſona filii familias & ſervi verificatur, quorum in acquiſitione Patris & Domini reſpectus habetur, cum quibus una eademque perſona eſſe reputantur, *l. placet de A. vel O. hered. l. qui hominem § quidam de ſolut. § ei vero I. de Inut. ſtip. t. t. I. per quas perſ. nob. acquir.* latius videatur Alciat. Gœdd. & Johann. Svevius de *V.S. ad d. l. 71.*

IV.

Significatio eſt Homonymiæ, & Synonymiæ.

V.

Homonymia quam Æquivoce & varie captivitatis vocabulum ſumatur, ſuppeditat.

I. Pro captura vel Incarceratione delinquentium, quæ vel pœnæ loco hodie infligitur, vel ne Reus Criminis alicujus aufugiendo, judicio ſe ſubtrahat, cuſtodiæ traditur *Dn. Pet. Theod. Ordinarius quondam Jenæ & Præceptor in Colleg. Crim. diſp. 4 § 10. lit. e.* quo reſpectu quos tenet carcer incluſos, aut convictos velox pœna ſubducat, aut liberandos pœna diuturna non maceret *l. 5. C. de cuſtod. Reor.* noxius ſiquidem ſtatim puniatur, Innocens abſolvatur ut Imperat. Conſtantinus in *l. 1. C. eod.* reſcribit II. Pro Captura animalium, Venatione, Aucupio & Piſcatione *§ 12. I. de R. D. & A. e. tr. D. l. 1. § 1. d. A. R. D. l. 3. § 14. de A. vel A. P.* III. Pro inventione rerum quæ vel nunquam alicujus fuerunt *§ 18. I. de R. D. &c.* vel quæ fuerunt, & hæc inventio objectum duplex habet thesaurum *§ 39. I. eod. l. unic. C. de Theſ. l. 67. de R. V. l. 31. § 1. d. A. R. D.* & res pro derelicto habitas *§ pen. & ult. I. eod.* cujus & immobiles objectum erunt, nimirum recte animo poſſeſſio ſi amittitur *l. 3. § 6. de A. vel A. P. Bach. ad Tr. Vol. 2. diſp. 21. § ult. lit. G.* quid erit, quo minus res iſta occupantis fieri poſſit, aut ſi quis juſta ex cauſa crediderit, rem pro derelicto haberi, & iſtam occupet, ſine dubio illam per uſucapionem acquiret, *Bach. ad § ult. I. de R. D. pag. 312. & t. t. ff. pro Derelict.* IV. Pro ipſa detentione, quo ſpectat quod Tacitus quodam in loco ait, quocunq; oculos Romanus intenderet, captivitatem cædemque, & dira omnia oculis uſurpari. V. Sic Verbum capere in Sacerdotum Electione olim uſurpabatur, & capi dicebatur Veſtalis Virgo, quando ad illud Sacerdotium legebatur, propterea quòd Pontificis manu prehenſa ab eo parente in cujus poteſtate erat, veluti bello capta abducebatur. Pontifex Maximus hæc verba dicebat, cum Virginem capiebat, AMATA TE CAPIO, idque ideo factum quòd ea quæ primum hoc modo capta fuit, eo nomine fuiſſe tradatur à *Gell. lib. 1. Noct. Attic. Johann. Guilb. Stuck. in deſcript. Sacror. & Sacrific. Gentil. pag. 67. Roſin. Antiquit. Rom. lib. 3. c. 19.* Ita Flamines Diales, Augures & Pon-

tiſicet capi licebat, *Liv. lib. 27.* VI. Omiſſis denique aliis propriè ſumtam pro Captivitate & occupatione quæ in bello fit, ea quæ noſtri inſtituti eſt imprimis conſideranda, cujus præcipua ſedes eſt in *l. de R. D. & c. l. 5. § ult. m. de A R D. l. 51. eod. & c. t. t. ff. & C. de Capt. & poſtl.*

VI.

Homonymiam excipit Synonymia, quæ Varias captivitatis ſubminiſtrat appellationes.

Vocatur ea etiam Prædatio bellica *Ber. claſſ. 5. diſſ. 3. th. 52.* Spolium *l. pen. § ſimili etiam C. de donat.* quomodo tamen aliter quoque ſpolium accipiatur, & quid ſpoliarium, *Vid. Gothofr. ad l. 9. § 1. num. ff. de V. S.* Præda omnis res, late nimirum *l. 20. § 1. l. ſeq. in fin. l. 28. de Captiv. & poſtl. rev. l. 36. de Relig. & ſumpt. fun.* Stricte quod hoſtibus devictis & expulſis capitur *Gothofr. ad l. 3. § 1. de V. S. Donell. lib. 4. Comm. c. 21.* Vel Occupatio rerum hoſtilium *Bach. ad § item ea I. de R. D. pag. 258.* Item Victoria *l. penult. § 1. C. de donat.* Manubiæ *per l. 6. § pen. C. eod.* quo tamen Vocabulo propriè pecunia redacta ex Venditis ſpoliis *Gellio lib. 13. Noct. Attic. cap. 23.* indigitatur, quamvis etiam manubias pro flagitio & illicitis deprædationibus uſurpent Impp. Arcad. & Hon. *in l. 6. § 5. C. de Mod. Mult.* quomodo & Suetonius non ſemel uſus hoc vocabulo eſt de pecuniis, quas principes malo titulo & quaſi per prædam extorquent ut in Calig. *cap. 41.* Nerone *cap. 38.* Veſpaſiano *cap. 16.* ubi manubias & rapinas conjungit, meminit manubiarum Imperatoriarum, *Cic. lib. 3. de Orat.* Idem in *Orat. 6. in Verrem* fere in fine, ibi. Dubitamus quid iſte in hoſtium præda molitus ſit, qui manubias ſibi tantas ex L. Metelli manubiis fecerit, ad quem locum *ſub lit. g. Dionyſ. Godef.* notat, manubias eſſe prædia Imperatoris, à proportione ab hoſtibus capta, Idem *Cic. in Orat. pro domo ſua ad Pontif.* Manubiarum Cimbricarum mentionem facit & *lib. 1. Epiſt. ad fam. 9.* Dicitur & Captivitas noſtra occupatio bellica, cum locum non habeat, niſi in bello, nec non niſi contra hoſtes, perverſiſſimo quamvis quorundam gentium contrario more, quo hoſtes non tam hoſtes ſunt, quam eorum, qui defendendi erant contra vim & hoſtium inſultus, Vaccæ, Vituli, Equi, æs & quicquid pro ſui ſuorumque ſuſtentatione innocuum genus ſumma cum induſtria

Google

induſtria nec ſine maximo labore ac anguſtiis conquiſivit, nimirum ſ morerentes hoſpites vexat canis, ignavus adverſum lupos, noſtris, Gefängnüs/Raub/Beute/vocatur.

VII.

Conſtitutionem & diſſolutionem interna complectitur Captivitatis conſideratio.

IIX.

Tantùm non confusè, ſed & enodate conſtitutio venit explicanda.

IX.

Confusè in definitione & diviſione.

X.

Quid captivitas bellica ſit definitio ſeu deſcriptio docet.

Nimirum occupatio rei hoſtilis facta in bello legitimo *arg. l. 20. §. 1. l. 28. de captiv. & poſtl. rev. l. 5. §. 7. de A. R. D. §. 17. I. eod. l. 57. de A. R. D. Meier in C. A. lib. 41. tit. 1. n. 23.* Genus rectè conſtituit occupatio, differentiam hoſtilis res in bello legitimo capta. Unde legitimum requiritur bellum, nec ad hoc cauſæ tantùm juſtitia, ſed & legitime facta indictio, Juſtitia Cauſæ ad præſentem non modo, ſed & ingruentem vim pertinet ad illatam & inferendam R. A. zu Augſp. *de Anno 1530* §. Damit aber dennoch zwiſchen *eim §. ſeq.* R. A. zu Regenſp. *de Anno 1532.* §. vnd damit ſolcher beſchwerlicher R. A. zu Nürnb. *de An. 1542* §. vnd wo zu erhaltung quo vulgatum illud ſpectat. Es ſey die erſte Maulſchälle/ wann ſie geraethe/ ſo gut als zwo andere/ neq; enim celerius opprimitur quiſquam, quàm qui nihil timet & calamitatis initium frequentiſſimum ſecuritas, quæ ſero ſæpius clypeum ſumit poſt vulnera, ut rectè *Diet. de Summ. Imp. pot. concl. 101.* quando utile inquit bellum movebimus, ne ipſi bello petamur. & Magiſtratus cui cura populi commiſſa eſt incumbit, ſuo potius quam alieno timere arbitrio, & ſe adverſus inimicos præparare, quam in diſcrimine coarctari *Bl. in l. 1. n. 42. C. unde vi Mart. de Jction. lib. 1. c. 24 n. 23* Unde Juſtus metus juſta belli cauſa exiſtimatur inter eos etiam qui fœdere vel induciis adhuc juncti hærent, cum & alias ſuſpecta ſemper ſit non hoſtium modo ſed & amicorum

rum

rum fœderatorumq; potentia *Chriſtoph. Forſtn. in Not. ad Tac. pag. 441.* Id demum igitur bellum juſtum eſt, quod legitimis cauſis præſuppoſitis, indictum aliis à Populo Romano ſit, vel Eidem ab aliis, hi proprie hoſtes cæteri latrunculi nuncupabuntur *l. 24. d. captiv. & poſtl. reverſ. l. 118. de V. S.* capti ab his non ſervi ſed liberi permanent, neq; bonis neq; perſonis factis capientium *d. l. 24. l. poſtliminium 19. §. à piratis d. Captiv. & poſtl. rev.* Cicero *in II. Philipp.* ille hoſtis eſt qui habet Rempub. Curiam, Ærarium, conſenſum & Concordiam civium, & rationem aliquam ſi res ita tulerit pacis & fœderis, Nemo bella recté niſi liber populus & Superior gerit *Liv. lib. 10. Didac. Covarruv. in c. peccatum § 9. n. 1. de R. J. in 6to. Paurm. de Juriſd. lib. 1. c. 3. n. 21. Matth. Steph. de Juriſd. lib. 2. c. 1. membr. 2. n. 50. Arniſ. de Jur. Maj. lib. 2. c. 5. n. 10.* citra majeſtatis Crimen *l. 3. § eadem ad L. Jul. Maj. Gig. de Crim. Maj. q. 31. n. 5. Gail. 1. de P. P. c. 4. n. 4. Boc. de Crim. Maj. c. 2. n. 48. cap. quid culpatur 4. cauſ. 23. q. 1.* regulariter ſcilicet, quando principibus Germaniæ in propriam & aliorum quoq; ſalutem militum conſcriptio denegata penitùs non legitur, obſervata tamen in Receſsibus Imperij præſcripta forma de *Anno 1555, 1570, 1576, 1582, 1594.* præprimis ſi ob ſubitum periculum Imperatoris copia haberi nequeat *Gail. d. l. n. 2.* uti Receſſus de anno 1530. & 1548, accipiuntur *à Warmundo ab Ehrenb. in Meditam. pro Fœd. lib. 1. c. 2. n. 56. pag. m.* 165. Ex quibus & aliis firmiter colligitur. Poſſe Principes noſtros inſcio etiam Imperatore bella ſuſcipere, id tamen omne aliter non, niſi Juris Via uti nequeant *Conſt. Carol. V. anno 1548. tit. 4.* die Peen der Friedbrecher &c. qua ſpreta & neglecta, avocatoria mandata contra illos emittuntur ſine clauſula, quibus & Ducibus & gregario militi ſub pœna Banni & privilegiorum omnium amiſsionis, armis interdicitur, in quas quoq; pœnas incidunt, ſi non morem geſſerint, *Gail. d. l. Mart. Mag. in tract. de Advocat. Armat. c. 11. num. 246. 248. & 253. Gœd. Conſil. 104.* Decreta ejusmodi mandata in Cauſa Ducis Juliacenſis contra Ducem Johannem Caſimirum Palatinum, & in Cauſa Marchionis Badenſis contra eundem Ducem Caſimirum 18. Maji 1588. *Franc. David Bembra Conſil. Bavar. in nuper Edito tractatu de Arte Belli & Pac. diſc. 9. n. 8.* Noſtra mememoria idem factum ſcimus à Ferdinando II. Imperatore die 31. Julij Anno 1635. Viennæ ad omnes Electores Principes & Status Imperij, immo ad

omnes

omnes etiam Mediatori, ut ſigna Suecica deſererent quem in finem annexa erat abſolutio à militari & quocunque alio Sacramento vel fide data, ibi. Wie Wir dann auch zu allem Vberfluß alle ſolche Bündnüs Pflicht vnd Eyde/ als an ihnen ſelbſten nichtig Von Römiſcher Keyſerlicher Macht/ Wiſſentlich in Krafft des Mandats auffheben/ Caſſiren/ Krafftlos vnd Unbündig erkennen vnd erklären/ Item, gleichsfalls aller Lehndienſte vnd anderer Pflicht/ Erbhuldigung/ Gelübd vnd Eyde/ damit Ihr Ihnen alſo zugethan ſeyn möchtet/ gäntzlich entbinden/ entledigen/ Freyen vnd erlaſſen. Iis hactenus quæ dicta ſunt, ſubjungendum de indictione aliquid, quæ publice per legatos Feciales à fide & faciendo dictos *Freder. de Marſelaer in Suo Elegant. Legat. lib. 1. diſſ. 2.* fieri debet, facienda inde diffidatio ſeu clarigatio die Abſagung/ qua omiſſa proditorem eſſe qui bella gerat. *Bald. in auth. item nullus n. 2. C. de Epiſc. & Cler. Guid. Papa dec. 191. n. 5.* Adde *Alber. Gentil. de Jur. Bell. lib. 2 cap. 1.* Univerſale tamen id non eſt de quo *Grot. de J. B. & P. lib. 3. cap. 3. §. 5. 6. & 7. Alb. Gent. d. l. cap. 2.* Facta tamen ubi in uſu denunciatione vel diffidatione, non modo Princeps, vel Reſpub. ſed & omnes ſubditi ſed & ſocii auxilium ferentes diffidati ſunt. *Claud. à Seyſſel. in l. ex hoc Jure de J. & J. Boc. de Bell. lib. 1. cap. 7. n. ult. Sic Bl. in l. 2. C. de Servit. & Aq. n. 70.* diffidato principe diffidatos ejus adhærentes recte exiſtimat, in tantum ut non minus Civis & ruſticus, quam gregarius miles hoſtis ſit legitimus, & belli Jus contra eos juſte exerceatur. Ea quæ in *c. 17. A. B.* habentur de diffidatione, abrogata ſunt *Gerlach Buxt. ad A. B. cap. 17. concl. un. lit. I. Marq. Freh. in Not. ad Pet. de Andl. lib. 2. cap. 16. Pet. Heig. p. 2. q. 32. Dominic. Arum diſſ. ad A. B. 6. §. 14. Marc. Rumelin part. 2 diſſ. ad A. B. 6. §. 4.* Cæterum, ritum indicendi apud Romanos uſitatum refert *Hippol. à Collib. in Princip. cap. 11.* Bellum decretum hodie Heroldi indicunt. *Warem. ab Ehrenb. d. l. cap. 3. n. 18.* & Præcones publici *Sleid. lib. 17. Boc. de Jur. Bell. lib. 1. cap. 7.* In noſtro Imperio, cum conſenſu Electorum Imperator indici curat decretum bellum, nequit enim hoc ſolus facere, uti nec fœdera ferire inconſultis aut diſſentientibus Proceribus R. A. zu Wormbs *de Anno 1594. tit.* Die Königliche Mayeſtät ſoll/ habetur idem in Capitulatione Carol. V. *art. 7. Ferd. II. art. 8.* idem in capitulatione *Ferdinandæa III. §. 2.* Unde olim in gerendo bello conſtitutus fuit Imperii Capitaneus, Ein

Reichs Hauptman R. A zu Augſpurg *de Anno 1500. &c.* Des Reichs Hauptman betreffend/ qui ut & reliqui officiales ac milites non Imperatori modo ſed & Imperio, fuere adſtricti Juramento *d. R. A. &c.* Von Soldner Eydt *&c.* des Hauptmans Eydt.

X I.

Species captivitatis ex diviſione pateſcent.

X I I.

Eaque vel à Cauſa efficiente deſumitur, vel à Materia vel à Subjecto,, vel ab Adjunctis.

X I I I.

A Cauſa Efficiente Deſumta.

Alia publica privata alia, Publicam dico, quæ à Principe, Duce, vel Republ. cujus auſpicio bellum geritur exercetur, teſtantur Romanorum hiſtoriæ, Ducibus ad bellum ituris, quæſtorem adjungi ſolitum, qui prædam & ſpolia ex hoſtibus colligeret, venderet & pecuniam poſtea in ærarium referret de quo *Gell. lib. 7. Noct. Attic. 4. & lib. 13. cap. 23. Apud Dion. Halic. lib. 7.* ſcitis prædam ex hoſtibus captam noſtraque Virtute paratam ad Rempub. legis juſſu pertinere, & non modo nullum privatum, ſed ne ipſum quidem Imperatorem in iſtam jus habere, ſed quæſtoris eſſe hanc acceptam Vendere & pecuniam hinc redactam in ærarium ferre, *Gell. d. l. 7. cap. 4.* Ab ea tamen Romanorum lege quæ forte ab initio viguit, paulatim receſſum, & Imperatori permiſſum, dividere non modo jam redactam ex hoſtibus prædam, ſed & cuncta militibus diripienda exponere, & prædę ſi res ita poſtularet concedere, *Liv. lib. 5. dec. 1.* Atq; ad illud ſpectabit *l. pen. ad L. Jul. pecul,* ubi habetur cum peculatus teneri, qui prædam ab hoſtibus captam (ſcilicet tanquam publicam) ſubripiat, nec non locus apud *Xenophontem lib. 7. παιδείας,* ubi Cyrus major lex inquit perpetua *νόμος ἀΐδιος* in omnibus hominibus, ut ſi hoſtium Urbs capta ſit, capientium ſint & corpora eorum, qui ſunt in Urbe & pecuniæ, & apud *Plat. I. de LL.* Omnia devictorum bona ſunt Vincentium. Privatam appello, quæ à ſingulis militibus exercetur, & per quam ſinguli ſibi acquirunt, de quo privato acquirendi modo accipiunt, *§ item ea I. de R. D. & A. rerum D.* videtur

ſiqui-

ſiquidem Imperator ibi tantum tractare de modis quibus ſinguli & privati, non quibus Princeps vel Reſpub. res acquirunt, *Bach. ad d. § item ea pag. 218*.

XIV.

A Materia.

Ea vel Hominum eſt, vel Rerum. Namque & liberi homines ab hoſtibus capti fiunt capientium ſervi, *d. § item ea. l. 7. in pr. de capt. & poſtl. rev. § 4. I. de Jur. Perſ. Deut. 21. verſ. 10. & ſeqq. Levit. 25. Joſ. cap. 11. v. 5. cap. 9. v. 23. 27.* Rerum captivitas alia religioſarum, Sacrarum & Sanctarum, nam hominum conſtitutione res Sacræ fiunt vel Religioſæ § *Sacra res. & religioſum I. de R. D. & A. earum D.* Unde quæ his Sacra vel religioſa, non ſtatim aliis quoque Sacra & religioſa ſunt quæ etiam non minus quam reliquæ res hoſtium occupatione profanæ fiunt, *l. 9. de Leg. 1. l. 36. de Relig. & ſumt. fun. Tr. Vol. 2. diſp. 20. θ. 1. lit. b. ibique Bach.* poterunt tamen ab hac calamitate liberari *l. 20. § 1. l. 28. l. 16. de capt. & poſtl. reverſ.* Alia Profanarum & Secularium, Omnium alia Mobilium alia Immobilium, alia ſe moventium, Alia Corporalium quæ tangi poſſunt, Alia incorporalium quæ ſui natura tangi non poſſunt, & Juris ſaltem intellectu ſubſiſtunt *l. 1. § 1. de Div. Rer. pr. I. de Reb. Corp. & Incorp.*

XV.

A Subjecto.

Cujus reſpectu aliam à maſculis aliam à fœminis fieri dico, atque ideo & Maſculinam & Fœmininam facio, De Maſculis res plana eſt, de fœminis videtur idem per *l. 18. de Excuſ. Tut.* qui textus noſtram ſententiam expreſſe confirmat ibi. Melius igitur probabitur eos ſolus qui in acie amittuntur prodeſſe debere, cujuscunq; Sexus vel Ætatis ſint, hi enim pro Repub. ceciderunt. A *Bachovio tamen in Comm. ad Inſt. § 1. de Excuſ. Tut p. 221* rejicitur, qui falſum ait impuberes aut fœminas in acie ſtare & pugnare, adeoque verba iſta aut ſpuria dicit, aut trajectione facta ad quæſtionem non ad deciſionem referenda, atque ita legendum, in obſidione forte cujuscunque ſexus vel ætatis ſint: Melius igitur probabitur. Ego putarim, quod JC. Ulpianus in *d. l. 18* de Ætate habet, de terminis habilibus intelligendum, & de ea ætate, quam vel lex vel mos, vel conſuetudo

cujusq; Gentis in milite requirit. Vel ſive Veterani ſive Novitii. non vero de Impubere, quem arma ita tractare non poſſe ut in acie ſtet & pugnet, nemo eſt qui dubitat, quamvis ipſe Bachovius impuberem aliquando militem eſſe poſſe, Videatur admittere *d. Comm. Inſt. ad § præterea teſtamentum facere Quib. non eſt. permiſ. fac. Teſt. p. 438. Arist. 7. Polit.* vult ut Juvenes in Optima Repub. decimo ſeptimo anno ætatis primum bellicis exercitiis aſſueſcere apud Pædotribam incipiant. Romani olim milites ex corporis habitudine dignoſcebantur. *Veget.* Rectius hoc videtur arbitrio Ducis Committere *Fr. Patrit. de Inſtit. Repub. lib. 9. tit. 4.* In Altera circa fœminas parte, valde dubito facere me cum Bachovio poſſe: quamvis enim meris lubentiis concedam & utraque manu largiar, fœminas raro milites eſſe, an tamen incapaces plane ad id ſint, negandum hoc. Virtus nulli præcluſa eſt, admittit omnes, eligit nec cenſum nec ſexum, extant paſſim fortiſſimarum fœminarum exempla, in Acie ſteterunt, pugnarunt, nec minori gloria quam maſculi pro patria ceciderunt, ut Viro pulchrum & honeſtum, & pro libertate & pro ſe ipſo mori, ita mulieri etiam, non eſt enim hoc proprium maſculorum naturæ, ſed bonorum. *Cl. Alex. lib. 4. Strom. pag. 365. A.* Habes Amazones bellicoſiſſimas fœminas, Johannam Illam Lotharingicam Virginem vulgo Puellam D'Orleans dictam, quam ſe vidiſſe ait *Guid. Pap. q. 84 n. 2.* Sic Dion. *lib. 71* teſtatur, mulierum corpora armata reperta eſſe inter Germanos Cæſos cum bellum ſub Antonino Philoſopho Imperatore moviſſent in Italiam. Ita Aurelianus Imperator in triumphum duxit mulieres, quas Virili habitu pugnantes cœperat. *Vopiſc.* Aliud idem *Dio lib. 75.* refert. Et Ennius ait: Vos Animum geritis muliebrem: illa Virago Viri.

XVI.

Ab Adjunctis.

Diſpeſcitur in Juſtam & in Injuſtam. Juſta Captivitas bellica eſt quæ in bello juſto fit, adeoque cauſa Juſta Juſtum quoque habebit effectum, ut in hoc verificetur Canon Philoſophicus, qualis Cauſa tale Cauſatum, quod ſi enim Juſta cauſa, ſuum quoque habebit Juris effectum qui eſt Dominii translatio, & reliquorum Jurium acquiſitio, neq; obeſt quod juſtiſſimum quoq; bellum dici poſſit neceſſario

ſum, quando id ratione Accidentium veriſſimum, ratione Eſſentiæ & quatenus per ſe conſideratus falſiſſimum. Enimvero abuſus rei per ſe bonæ, cum ſit accidens, non vitiat ejus ſubſtantiam *Joh. ab Haeckeln. lib. 2. Phil. pract. c. 4. in not. 1 pag. 60.* Injuſta captivitas eſt, quæ juſto principio caret, nimirùm quando absq; cauſa ſuſceptum bellum, omnis itaq; captivitas injuſta erit, quæ non juſtum & legitimum bellum principium habet. Quæ ipſa cauſa eſt quod captivitatis jura in bellis Civilibus non obtineant, vel ut in *l. 21. §. 1. de capt. & poſtl. rev.* vocantur in Civilibus diſſenſionibus, neq; etiam vice hoſtium ſunt, qui in alterutrius partes diſcedunt, quando in exitium Reipub. principaliter non contenditur, quamvis ſæpè per eas Reſpub. læditur *d. l. 21. §. 1.* & Civile bellum eſt quod inter ſe populus Romanus movet *l. unic. in pr. C. de Caduc. toll.* vel populus ejidem Imperio ſubjectus, ut ſi in noſtro Imperio, Princeps contra Principem, Civitas Imperialis contra Civitatem Imperialem inſurgeret eandemq; bello peteret nulla captivitas, nulla ſervitus locum habeter *l. 21. §. 1. de captiv. & poſtl. rev. Hillig. D. E. lib. 2 c. 9 lit. M. & lib. 4. c. 21. lit. c. Lopez Summ. adv. c. 18. n. 4.* quemadmodum nec à latronibus captus ſervus fit *l. 24. d. t.* Sic Triumphum, qui de bello tantum juſto concedi ſolitus, non concedebant Romani de latrunculis, ut exprobratum Pompejo Autor ſit *Plut. in Ejus Vita*, quod in Triumphum de Piratis incundere ſe machinatus eſſet, quamvis ob belli periculum, & in eo conficiendo dexteritatem contra Triumphi leges ipſi poſtea fuerit conceſſum.

XVII.

Adfuit Conſideratio Captivitatis confuſa, Enodata conſiſtit in Explicatione definitionis per cauſas & Effectum.

XIIX.

Cauſarum aliæ internæ ſunt, Externæ aliæ.

XIX.

Externas voco Efficientem & Finem.

XX.

Illa vel Remota vel Propinqua.

XXI.

Remotam conſtituit Jus, quo captivitas noſtra intro-ducta & approbata.

Bachovius *ad §. 2. I. d. I. N. G. & C.* ait Interpretationem Juris Naturalis Gentium & Civilis, non tyrones Juris tantum ſed & exercitatiores in errorem ſæpè inducere, neidem mihi in materia Juris principia concernente contingat, ſed eo felicius detur progredi, neceſſario Jurium iſtorum viſa fuit indaganda natura & differentia, breviſsimè tamen & abſq; cujusq; obligatione & ſubdiviſione, quæ aliud rectiſsimè vocatur merum ſeu abſolutum, aliud approbatum, aliud reprobatum, aliud liberè relictum *Dn. Riemer. ill. Q. Q. sec. 1. q. 8. Dn. Frantzk. in Comm. Paul. tit. de I. & I. n. 59. & 60.* Cæterum dividitur Jus *in §. 1. I. de J. N. G. & C. l. 9. pr. l. 6. de J. & J. Dn. Riem. d. l. in pr. Althuſ. 1. Dicæolog. c. 13. n. 7. & 8.* in Commune & proprium, Commune vel Divinum vel Humanum *Dn. Riem. d. l.* Humanum & Naturæ & Gentium *Joh. ab Hoeckelsh. Phil. pr. lib. 1. c. 1. n. 130. q. 8. p. 141.* & ex eo *Riem. d. q. 8.* tum primævum & ſecundarium non tamen merum & abſolutum & citra ullam σχέσιν conſideratum, ſed reſpectivè & quatenus unumquodque, Jus noſtrum Civile Romanum approbavit, & approbatione Romanum factum eſt, complectitur *arg. l. 1. 2. & 3. §. 10. & 20. C. de V. J. E.* Juris Naturæ ſubjectum eſt ſolus homo, quatenus ſimpliciter eſt homo, mente Practica & viribus ab hac dependentibus, membrisq; organicis ei inſervientibus naturæ præditus, non vero quatenus eſt membrum ſocietatis Politicæ *Hoeckelsh. 2. Phil. Pr. c. 1. not. 2.* cùm, qua Civis Jus Naturæ tanquam in eo reprobatum obſervare non debeat, & ſi à Cive obſervetur Jus Naturæ, ſit id non qua abſolutum, ſed qua approbatum eſt. atque ita quemadmodum hominem Jus Naturæ abſolutè reſpicit, ita Jus Gentium reſpectivè, quatenus in Gentem vel Societatem collectus & congregatus vivit, quæ ſocietas duplex, Domeſtica prior Civili *Arist. lib. 8. Ethic. c. 12. & lib. 2. Polit. c. 1. in pr.* Et Civilis quæ poſterior Domeſticâ, duplex nobis gignit Gentium Jus, Primævum quod Domeſticum vocatur *Dn. Valentino Riemero* & qui hunc ſequuntur *Excellentiſsimis JCtis Dn. Georgio Frantzkio & Domino Godefredo*

Fibigio

Google

Fibigii in Academia Jenenſi Profeſſori, Præceptori honoratiſſimo, vel Secundarium, quod Jus Civile, & eſt hoc non quod primariò & immediatè ex Jure Naturæ ſed ſecundariò mediante nimirum Jure domeſtico ſeu primævo deſcendit *Dn. Riem. Ill. qq. dec. 1. q. 3. Hoeckelsb. lib. 3. part. 2. c. 1. not. 1. pag. 559.* & vocari poteſt *arg. §. 2. I. de J. N. G. & C.* ſpeciale, cum multa ſub ſe habeat individualia Jura *Dn. Frantzk. Exerc. 1. q. 5.* Jus vero domeſticum immediatè ex Jure Naturæ fluxit, & ipſius ſubjectum eſt prima ſocietas gentem aliquam repræſentans, cujus nomen & in una familia dari Gens Claudia docet *Ant. Aug. & Fulv. Urſ. de Rom. Gent. & fam. Dn. Riem. dec. 1. q. 3.* ita etiam Ariſt. 1. M.M. c. 34. Jus dividit in οἰκονομικὸν & πολιτικὸν, de cujusque Juris obligatione videatur *Dn. Riem. dec. 9. q. 2.* Neq; verò potest Jus illud primævum referri ad Jus Naturæ per *§. 11. I. de R. D. l. 1. in pr. de A. R. D.* Cum Jure Naturæ nulla inæqualitas, nulla coactio, ſed homo homine ſaltem ſuperior eſſe poſſit in conferendis beneficiis *Hoeckelsb. lib. 3. Phil. pr. c. 2. in not. 22. pag. 415.* & aliis quibusdam, extra coactionem tamen, quod omninò in Patreſam. ſecus, cui aliquam coercitionem competiiſſe & competere qui negat, næ ille falſum ait, Vid. *Excellentiſſ. Dn. Wendelinum, Patronum meum Inſtit. Polit. lib. 1. c. 1. Th. 18. in Expl. n. 3. & Joh. ab Hoeckelsb. lib. 3. Phil. Pr. part. 2. per aliquot capp.* Paterfamilias gerit typum parvæ cujusdam Reipub. 1. *Oecon. 1.* in qua Dominicè ſervis, Regiè filiis, Ariſtocraticè Uxori imperet 1. *Pol. 2. & ult. 2. Pol. 2. & 3. 8. Eth. 10. & 11.* Noſtra nunc captivitas cui Juri adſcribenda erit? omninò cui bellum tanquam cauſa cum ſua cauſa, at iſtud in *§. 2. I. de J. N. G. & C.* ſimpliciter Juri gentium tribuitur, eidem ergo & captivitas, ſed cuinam Juri Gentium? an Primævo? an Secundario? an verò Juri Naturali? cum ſæpius hæc invicem inter ſe conferantur ut *§. ſingulorum 11. & §. 41. I. de R. D. l. 1. de A. R. D. l. 31. depoſ.* & paſsim. Verius videtur in *d. §. 2. I. de J. N. G. & C. & l. 5. de J. & J.* intelligi per Jus Gentiũ jus comũne, adeò ut & ſub Jure Gentium Jus Naturæ intelligatur, quod modo Jus Gentium modo Naturæ inſcribitur per textus allegatos *Excell. Præceptor Dn. D. Fibig. in Colleg. Frantzk. Exerc. 6. q. 1. lit. a.* Et accipi in *d. §. 2.* Jus Gentium pro Jure Communi, inde verificatur, quia quod Gentium Juſtinianus appellaverat *in §. 1.* id vocat Commune omnium hominum Jus, quare in *pr. §. 2.* Jus Proprium tractat, in verb. Jus autem

Gentium

Gentium commune Jus indigitat. Neq; vero huic obſtabit quicquam, quando Gentes illud Jus Gentium conſtituiſſe dicuntur, vel quæ Juris Naturalis ſint attribuantur Juri Gentium. Rectiſsimè ſiquidem id exaudiitur, quoad Jus Naturæ abſolutum & citra quam aliquam conſideratum, per Jus Gentium demum approbatum & δυνάμει ἀναγκαστικῇ armatum *Dn. Rum. dit. 1. q. 3. & 4. Dn. Frantzk. Exerc. 1. q. 4. n. 5.* Sic bella ſi unquam defenſionis ſpecie conſiderentur proculdubio Juris Naturæ erunt, & inde quoq; captivitas antiquiſsimi Dominij acquirendi de Jure Naturæ modi, nimirum occupationis *Dn. Frantzk Exerc. 1. q. 6. n. 6.* ſpecies, illud itaq; Jus Naturæ, Jus Gentium approbavit & ſervitutes quæ Naturæ contrariæ erant §. 2. *I. de J N G. & C.* introduxit, quod Gentium, poſtea approbatione Romana, Romanum factum, & cujusq; Reipub. à qua approbatum, proprium, cum Jus aliquod merum vim ſuam exercere nunquam poſsit, niſi vi coactiva à ſumma poteſtate munitum fuerit, quodvis enim præceptum Juſtitiæ, tùm Communis, tùm Ethicæ ac Politicæ pro lege politica habendum eſt, cui ſuas appendices minas potiſsimum pœnarum Dominus Politicus pro ſua prudentia addidit *Job. ab Hoeckelib. lib. 3. Phil. Pr. c. 2. in not. 10 pag. 409.* & tunc lex Politica dicitur ex Jure Communi orta & deſumta *id. d. l. not 11.* Romani itaq; hoc Jus totum non conſtituerunt ſed ex Jure Gentium, quo ne uterentur hoſtes, ſicut ipſi Romani in hoſtes, impedire non potuerunt *Rach. ad §. ſi ab hoſtibus 1. quib. mod. Jus Par. Pot. toll. pag. 143. & arg. Rubr. in ff Quod. quisq; Jur. in al. ſtat. ut ipſe eod. Jur. utat.* Idem circa captivitatem approbavit Jus Divinum *Luc. 3. v. 14. ad Heb. c. 11. v 30. & ſeqq 2. Sam. c. 12 v. 26. & ſeqq. Jud. c. 2 v. 14. & c. 3 Bodin. de Repub. lib. 6. c. 5. p. 884. Deut. 20. v. 14.* Jus Canonicum *c. qui culpatur 4. c. militare 5. c. apud veros Dei cultores 6. & c. ſumma 7. cauſ. 23. q. 1. c. Dominus noſter 2. cauſ. 23. q. 2 c. noli exiſtimare 3. cauſ. 23. q. 1 Joach. Steph. Inſt. Jur. Can. lib. 2. cap. 16. n. 3.* Nec non Jus Saxonicum *Gl ad* Weichb. *art. 2.* Was ich meinem Rechten Feinde nehme/ oder in einem rechten Krieg gewinne/ das iſt mein *Schneidw. ad §. 17. I. de R. D. n. 2. Dn. Carpz. part. 4. conſt. 35. def. 8.* Sacri Romani Imperij Jus Reuterb *de Anno 1570. art. 84. & 96.* ibi da auch Städte/ Schlöſſer/ Flecken/ Land vnd Leute erobert wurden / ſollen dieſelbige ſampt dem darzu gehörigen Geſchütz/ Munition vnd dem Vorrath vnd Proviant/

ins

zu allerwege Wie und dem H. Reiche zuſtehen ſolgen und bleiben / etc. Aber alle andere Haab/ſo nach Kriegesgebrauch Preis iſt / ſol jhnen bleiben / Fußknechts-Beſtall *art. 62.* Was ein jeder in Schlachten / Stürmen oder ſonſten dem Feinde abgewinnet / ſol einem jeden nach Kriegs-Recht und Ordnung bleiben.

XXII.

Propinquam cauſam conſtituunt Perſonæ, quarum nomine captivitas exercetur.

Per Perſonas hic non modo Summus Princeps intelligitur, qui in Republ. ſolus abſolute Imperat & Monarcha dicitur, ſed & Tyrannus, ſed & Dominus, ſed & qualibet alia Respub. ſuperiorem non recognoſcens, nō minus enim Ariſtocratia & Politia perfectam & Plenam habent Majeſtatem quam Monarchia, ut non immeritò videatur notatus ideo *Tholoſ. lib. 9. de Repub. cap. 1.* Soli Regi tribuens Majeſtatem, quælibet enim Respub. idem poteſt quod altera, neque magis quid neque minus. Quando Eſſentiam Reipub. non familiarum, populorum ac gentium multitudo, ſed forma & ratio Imperandi atq; obediendi conſtituit. *Joh. ab Hoeckelsh. lib. 3. part. 1. Phil. pr. 2 not. 4. pag. 610.* Atq; ideo quoq; poterit bellum decernere & decretum indicere, jura belli libere & juſte exercere, Ubicunque enim eſt Respub. ibi etiam eſt Majeſtas, ſive bona ſit ſive prolapſa, ſive ſimplex ſive mixta, in Regno penes unum, in Ariſtocratia penes Optimates, in Politia penes populum, ubicunque vero Majeſtas ibi Summa poteſtas, ex quo ſponte fluit Majeſtatem eſſe Legibus ſolutam, & inde politice defendi Principem quoque omnibus omnino legibus nullis plane exceptis, nequit enim in Una Eademq; Repub. Summa poteſtas abſq; manifeſta contradictione æqualem agnoſcere, quare nec leges tanquam ſcita Superioris potentiæ, exprimit id Emphatice admodum atq; perſpicue *JC. in l. 31. de LL.* Dum Princeps inquit Legibus ſolutus eſt, præprimis tamen notandum, non late hic & largo modo legem accipi, ſed prout in Politica diſciplina conſideratur, & ſemper annexam habent *δύναμιν ἀναγκαστικήν. Donell. 1. Comm. 5. Vid. Joh. ab Hoeckelsh. d. l. 3. part. 1 c. 2.* paſſim, quo ſenſu rectiſſime leges Virtutes armatæ Senecæ vocantur. Et qua quæſo ratione ligatus

princeps dici poterit, enim, leges aut latæ fuerint à Superiore, aut à Subditis, aut ab Ipſa Majeſtate, Non erit primum, cum ſuperiorem non recognoſcat. Non ſecundum cum expreſſam & inevitabilem implicet contradictionem, cum leges dare, qui accipere debeat. Multo minus tertium cum in ſe nemo Imperium habeat *l. ille à quo. § Tempeſt. ad SC. Trebell. l. quod aut § Uxori de Donat. int. V. & U. Arniſ. lib. 1. Doctr. Polit. c. 11.* Nec Contrarii quicquam affertur, quando Majeſtatem teneri ajunt & Naturæ & Divino Jure abſoluto, quod nunquam negatum, teneri enim abſoluto Jure Divino ex Vinculo Conſcientiæ in Theologia, Jure Naturæ abſoluto ex Vinculo honeſtatis in Ethica ſemper creditum, qua ſalvandum nimirum, & qua hominem, cum itaq; Summus quoq; Dominus Politicus ſit homo, DEO pietatem & homini humanitatem debet niſi divinitus puniri velit. *Joh. ab Hoeckel. lib. d. l. pag. 413.* Imperat quidem hominibus, ſed tamen homo *Freder. de Marſel in Legat. lib. 1. diſſ. 1 pag. 2.* Veriſſimum econtra & illud eſt, veriſq; Principiis Politicis conveniens, Principem Legibus omnibus in Politia, ſive propriis, ſive Communib. approbatis, ex Jure Naturæ Gentium & Divino ſolutum omnino eſſe, cum omne illud quod per Politicam poteſtatem accedit abſolutis iſtis Juribus ex approbatione, totum Politicum ſit & maneat quoque, neq; obligare illum poſſit, cui Politicum illud ſubjacet ſolidiſſimè Optimus JCtus *Dn. Valent. Riem. d. dec. 1. q. 7.* addi quoque poterit *Gudelinſ. part. 1. periculi. Acad. 4. q. 26.* De Cætero, quatenus Inferiores & in ſpecie Germaniæ Principes, absq; Imperatoris præſcitu bella movere poſſint, Videatur *theſ. 10.*

XXIII.

Finis eſt vel Ultimus vel Intermedius.

Ille eſt Salus & ſecuritas Reipub. & Patriæ, dubium ſiquidem nullum plane habet, quin utilitatis publicæ favore à communibus legibus recedatur *l. 51. § 1. verſ. multa ad L. Aquil. l. barbarius ubi Jaſon n. 24. de Off. Præt.* Ita quoq; ſi ſervitus hoſtibus remitteretur, & barbaris inprimis, quibus ex rapto vivere volupe, & multos occidiſſe ſumma ſæpe laus eſt, quem non in arma protraheret injuſta illa miſericordia ut eam Ambroſius vocat, quæ incentivum præbet delinquenti *c. eſt injuſta 23. q. 4. c. ut clericorum de vit. & honeſt. Cleric.* qui enim ut idem ait indulget indigno, plurimos facit ad prolapſionem

con-

Google

contagium provocari *d.c. eſt injuſta Nov. 17 c.5.* Hic alius eſt ex parte eorum, qui victi ſunt, alius ex parte Vincentium, horum ex parte dilatatio finis, auctio fiſci, & præda, per quæ hoſtium vires ſtranguntur *Gaill. ad l.3. §1. de V. S. num.6. & 7.* Illorum qui victi ſunt interest ut per ſervitutem extrahantur morte, *§3. I. de J. P.* quam vi Jure occidi potuiſſent, *l.3. § ult. ad L. Corn. de Sic. l.1. §3. de dol. mal. c. cum homo 23. q.5.*

XXIV.

Cauſas internas voco Materiam & Formam.

XXV.

Materiam Logici duplicem faciunt, in qua ſeu Subjectum & circa quam ſeu Objectum:

XXVI.

In qua ſeu Subjectum ſunt perſonæ, quibus acquiſitio rerum hoſtilium per captivitatem, interdicta non eſt.

Omnes igitur milites qui eſſe poſſunt capient quoq; Expreſſa Lege prohibentur Latrones *l.24. de captiv. & poſtl. rev. l.19. §1. eod. Hilbr. D. F. lib.6 c.5. lit. a.* Is qui ad hoſtem confugit & rediit, *l.3. §10. de Re milit.* Adulteri vel alicujus Judicii publici damnatus *l.4. §7. eod.* Ob ſtatum Servus *l.11. eod.* qui quoque ex Martiani Reſponſo capite punitur ſi attentaverit *d.l.11.* Qui ſtatus Controverſiam patiuntur licet revera liberi ſint, non debent per id tempus nomen militiæ dare maxime ſi ordinario, ſive ex libertate in ſervitutem ſive contra petantur, *l.8. eod.* Nec hi qui ingenui bona fide ſerviunt *d.l.8.* Sed nec qui ab hoſtibus redemti ſunt, priusquam ſe luant *d.l.8.* Coloni vel Saltuenſes *l.2. C. qui milit. poſſ. vel non poſſ.* Curialis vel Cohortalis conditionis qui ſunt, *l.3. eod.* Cæterum ſervus aſpirat ad militiam vel ſciente vel ignorante Domino, ſi ignorante, licet Domino adire competentem Judicem, & ſuam ignorantiam oſtendere, eoque modo ſpoliatos militia eos in ſuum Dominium retrahere, niſi contrarium probetur, ſciens enim Dominus, non modo Domini ſed & Patronatus Jure cadit, ſervis liberis factis, ſi uti-

 les

les viſi ad militiam fuerint, ſin vero minus idonei militia p[illegible] ... *l. 6. C. qui milit. poſſ. vel non. l. 3. C. de Tabular.* quibus tamen contradicere videtur Martianus in *d. l. 11. ff. de Re milit. Gl. ait l. 11. per l. 6. C. d. t.* correctam vel in *l. 6. ſpecialiter* ad fieri autoritate principis & contra Regulam, & in ſpecie *l. 6.* ſervum Electum, *in l. 11.* vero appetere. Ab hac tamen regula excipitur hominum penuria, qua etiam Lacedæmonii ad Meſſiniam pugnantes nec non Romani in bello Punico excuſantur *Tholoſ. Syntagm. Jur. Univerſ. lib. 19. cap. 3. num. 8. Godofr. ad l. 6. C. de his qui milit. poſſ. vel non.* Non infamis *l. 4. § adulteri de Re milit. l. 2. § miles di his qui not. inf.* Non Clericus, nimirum nemo militans DEO implicabit ſe negotiis ſecularibus *ad Timoth. 3. Conſtit. Elect. Auguſt. Eccleſ. tit.* Von Leben und Wandel der Pfarherren / male cum bombardis ſonat pſalterium, ſciant opprobrioſum eſſe cauſarum ſecularium peritos ſe oſtendere, *argum. l. placet 17. C. de Epiſcop. & Cleric. c. cum ad verum diſtinct. 96. c. Sacerdotibus in fin. c. ſed nec procurationes & t. t. ext. Ne Cleric. vel Monach. ſecul. negot. ſe immiſc. c. 12. & ſeqq. cauſ. 21. qu. 3. Th. Michael de Ictione concluſ. 4. & 5.* definit eſſe miles ſeculi qui factus eſt miles Chriſti *2. FF. 21.* Milites Chriſti ſervire debent Chriſto, milites ſeculi ſeculo *2. FF. 109.* Militans taliter fit irregularis amiſſo gradu *c. clerici c. ſtatim 23 quæſt. 8.* Leguntur quidem Epiſcopi, Duces & Præfecti fuiſſe verum hos deplorat *Keiſerb. in Concione coram Epiſcop. Argentin. verbis relatis ab Henrico Petreo de monaſter. pag. mihi 59.* quamvis hoc ipſo non denegetur defenſio naturali ratione ipſis permiſſa ſed etiam ipſa Sacra dum peragunt ab iis diſcedere & impune occidere inſultantem, & nullo temporis intervallo ad Sacra nihil obſtante ſanguinis actu redire conceditur, *Gail. 2. Obſ. 110. num. 12. Voltz. ad L. Cornel. de Sic. c. 7. num. 6. Dn. Carpz. prax. Crim. part. 1. quæſt. 28. num. 6.* Excepter volumus Sacros ordines Teutſche Ritter / Hieroſolymitaner oder Malteſer Ordens / quos non modo idoneos feudi ſucceſſores eſſe, ſed & præcipuum munus in armis & defenſione Eccleſiæ contra hoſtes conſiſtere tradunt. *Schultz. de FF. c. 8. n. 98. Berlich. part. 3. concluſ. 59. num. 46. Tob. Paurm. de Jurisdict. lib. 2. cap. 8. 1 num. 65. Cramm. de Pa... Rebus part. 1. probl. 12. Vid. tamen quæ H. Piſt. ſcribat. part. 2. q. 33. n. 15.*

&c

Google

& Inprimis Conſule, *Magnificum & Nobiliſſimum Dominum Præſidem Jctum & Ordinarium famigeratiſſimum, Patronum & Præceptorem ſuprimæ venerandum, in medit. Jur. Feud. diſſ. 8. th. 69 pag. 57.* Sine ſti-pendio nemo miles eſt, quicunq; enim ſtipendia non fecit licet in caſtris & Exercitu verſetur, impune non occidet vel vulnerabit hoſtem, & olim pugnare crimen erat, etiamſi pro Repub. diſcrimen adiretur: tanquam hominis vis illata hoſti vindicatatur, Cato id Major teſtatur in Epiſtola quadam, qua filium juſſit domum redire ſi ſtipendia impleſſet, ſin manere mallet, ab Imperatore poteſtatem impetraret feriendi necandiq; hoſtes *Plutarch. in Quæſt. Rom. Eryc. Puc. de Stipend. milit. c. 5. p. 14. & 25.* Circumforanei vagi pagatim graſſantes. Freybeuter/Umblauffende vnd Herrnloſe Knechte/ Brüder Veit/Hans/Reiter/&c. *Wehn. Obſ pr. voc.* Freybeuter *Georg Schultz. Syn. Inſt. de Milit. Teſt. lit. a. Ord. de P. P. anno. 1521.* §. von der Einſpännigen Knecht R. A. *de anno 1555.* §. vnd damit angeregte *Gail. lib. 1. de PP. c. 9.* Der Troß/Huren vnd Buben/ hi neq; ſtipendia faciunt, neq; ſacramentum militare præſtitere haben nicht zur Fahnen geſchworen *l. 1. C. de his qui non implet ſtipend. ſuchm. ſolat. Maxim. II.* zu Speyer *de Anno 1570.* Articulbr. *art. 1.* Reuterbeſtall. *de eod. Ann. art. 25.* die nicht gleich anderen/in das Regiſter geſchrieben/vnd mit Pflichten vnd Gehorſam verbunden ſeyn/ Ejusmodi quoq; inutile genus hominum quod tantum perdendis frugibus natum ab exercitu ſi-ſubitice plane arceri jubetur in der Reuterbeſtall. *art. 47. & d.* Articulbr. *art. 68.* quod aliquoties noſtra memoria factum ſcimus, quando vel ſoſſaliſium vel pons transeundus, quibus tamen uxores non ſubjacent, hæ enim maritum ſequi neceſſe habent, & ideò inſtar militum Reipub. cauſa abſentium hoc gaudent beneficio, ut longi temporis præſcriptio iis non noceat *l. 1. & . 2 C de uxor. milit. & eor. qui Reipub. cauſ. Ant. Peretz. in Cod. h. t.* Obligatione juramento confirmata prohibetur Subditus & Vaſallus. Et cum non ſolum immediati ſed etiam mediati Imperatori devincti ſint R. A. zu Worms *de Anno 1564.* § Wiewohl auch in der Executions Ordnung ibi. Bey der Pflicht/damit ein jeder Vns dem Heiligem Reich vnd ſonſten ſeiner Obrigkeit zugethan vnd verwandt iſt/ auch Vermeidung Vnſer vnd des Reichs vnd ſeiner Obrigkeit ſchweren Vngnad vnd

 Straffe/

Straffe) non militabunt contra ipſum, in tantum ut etiamſi Vaſalli & ſubditi præſtiterint Vaſallagium vel homagium Dominis ſuis, excepta ſit Imperatoris perſona *c. venientes 19. junct. c. petitio 30. X. de Jure Jur. H. Piſt part. 2 q. 47 n. 31. Caeberan. deciſ. pedem. 78. n. 20. Roſenth. de Feud. c. 2 q. 3. n. 6. & c. 8. q. 15 n 5.* cumq; contra proprios Dominos juvare teneantur per *Matth. de Afflict. dec. 263. n. 107. Modeſt. Piſt. Vol. 1. Conſil. 12. n. 2. & ſeqq.* Gravius tamen Vaſallus contra Dominum ſuum militans puniri nequit, quam Feudi ademtione, cujus obligatio perſonas non afficit, ſed tantum ratione bonorum Domino Feudi obligati ſunt *Andr. de I. ſern. cap. 1. §. ſed nec eſt alia qua. f. ut prima cauſ. Hammel. de Actionib. cap. 33. n. 6.* hinc ſumma Judicii Feudalis pœna eſt, privatio Feudi, nunquam vero afficiens perſonam, niſi ſimul Dominus ſit Ordinarius & Vaſallus Subditus, & tunc non tanquam Vaſallus reſpectu feudi ſed tanquam ſubditus reſpectu alterius delicti punitur.

XXVII.

Materia circa quam, id eſt Objectum, ſunt perſonæ ſeu hoſtes.

Iiq; omnes, connumeratis etiam Ducibus, Principibus & quibuscunq; aliis ſubditis, probat id expreſſe *§. 17. I. de R. D.* in tantum, ut liberi homines capti ſi fuerint ſervi efficiantur *§. 4. I. de Jur. Perſ. Deut. 21. v. 10. & ſeqq. Levit. 25. v. 44. Deut. 15. v. 12. ad Epheſ. 6.* quod non circa ſingulos ſaltem obtinet homines, ſed & provincias, Regna, Civitates, Oppida, Urbes, pagos, locos, non minus enim hi hoſtium invadentium & occupantium ſervi & ſubditi ſunt, oppugnata ſiquidem Urbe, Omnes certe Cives permittente Jure capiuntur, quod ſi capi quid ni & ſervi, idq; neceſſarium regulariter videtur conſequens atq; inſeparabilis effectus, in juſto & juſta de cauſa indicto bello de quo *in th. 10.* de Jure Gentium cuncta Victoris ſunt, etiamſi Victi reluctandi cauſam undiq; captent, & inviti induant inſuetum capiſtrum *Arniſ. de Repub. lib. 2. c. 2. ſect. 6 n. 11.* Et Xenophon *ait 7. Cyrip.* legem perpetuam inter homines eſſe, quando belligerantium Urbs capta fuerit, cuncta eorum eſſe qui ceperint, & corpora eorum qui in Urbe ſunt & pecunias. Urbi tamen antequam

ea ſi

Google

alienari, idq; ad extraneos quoq; captos alios extendunt *Dd. Bc. ad d. auth. n. 10 Jaſ. n. 32.* quando ſemper ea quæ communiter omnibus proſunt, his quæ ſpecialiter quibusdam utilia ſunt præferenda, quotusenim quisq; non intelligit, publicè intereſſe, cives noſtros ab Extraneis Barbarisq; Gentibus eſſe redemtos, ut *Padilla ait ad d. auth n. 95.* idq; ulterius probat *Nov. 108. c. 1. Rittersh. in Expoſ. part. 6. c. 9. num. 14.* tum quod pietatis cauſa ubiq; merito præcipua ducenda ſit, & omnibus rebus antiquior, tum quod maximum beneficium ſit, quo mactetur anima capti à Barbaris quando redit ad uſum ſacramentorum & Eccleſiæ Communionem â quo Omnium ſummo & maximè æſtimando fuerat impeditus, tum quod propter naturalem cognationem à natura inprimis inter concives & ejusdem Reipub. membra conſtitutam *l. 3. de J. & J.* Teſtator idem præſumitur velle, & voluiſſe ſi ſciviſſet. Sic dotem non modo à marito volente uxor repetere poteſt, ad perſonas neceſſarias ab hoſtibus redimendas, liberos, parentes, fratres, egentes, alendos *l. mulier 73. §. 1. de Jur. dot. l. quamvis 20. cum l. ſeq. ſol. matr.* ſed & ipſe maritus, redimendo parentes, mulierem ab hoſtibus, pecuniam vel rem dotalem reſtituiſſe videbitur, ut amplius conveniri non poſsit *d. l. 73. d. l. 20. & 21.* Sic Donatio inter Vivos quingentos ſolidos excedens inſinuationem requirit *l. 34. l. pen. §. ult. C. de donat.* quod tamen ſecus eſt, ſi in redemtionem captivorum, vel in eum cujus domus incendio aut ruina periit, facta ſit *l. ſi quis 36. in pr. & §. 2 C. eod.* Et qui accipit donatam pecuniam in redemptionem captivorum, jurat de bona fide expendenda ea *d. l. in fin. pr.* Itidem fides habetur Domino cujus ædes corruerunt, juranti pecuniam ſe in novas ædes expendiſſe *d. l. §. 1. in fin. C. de donat.* Nunc videndum paucis tamen, à quibus & quorum ſumtibus facienda redemtio, & illud dubio caret, quod Pater filium, & filius Patrem redimere teneatur, niſi uterq; ſe ex hæredatione feriri *Nov. 115. c. 3. & ſeqq.* idq; quod pietatis cauſa à patre ſolutum eſt à filio non confertur *arg. l. 1. C. de Neg. geſt. l. 17 circ. fin. C de poſtl. rev l. 1. in fin. pr delib. Cauſ fac. §. ult. verſ. quis enim patiatur I. de Noxal. act.* Vaſallus Dominum niſi Feudo privari malit *2. FF. 24. §. item fideliter Schrad. de Feud. part. 9. c. 8. Zabell. diſp. 8. th. 4. lit. e. Zaſ. de Feud. part. 10. n. 63. Magnificus & Nobiliſſimus Dn. Ordinarius Dn. Jeremias*

mlat Reuſner. P itr. Præcept. & Præſes perpetuum Obſervand. Meth. Jur. Feud. diſ. 9 th 72. Ita pro Domini Ordinarij capti redemtione collectio imponi poteſt *Hoc. de Collect. c.6 n.32 Rut. Rul. de Commiſſ. part 4 lib. 2. c. 8. n. 27. Sixtin de Regal. 2. c. 14. n. 21 Fred. de Mand. c. 44 n. 10. Maul. de Hom. tg. tit. 6.* quod omninò pietas & publica neceſsitas requirit, nec non amor ſubditorum, erga Principem, qui non minor eſſe debet quam liberorum erga parentes. Pro Johannis Galliæ Regis in prælio contra Anglos capti redemtione, tricies centena millia Francorum à populo penſa teſtis eſt *Gentilett adv. Machiavell. pag. 42 Glock de Contribut. concl. 49. lit. b.* Ita & in *Receſſu Provinciali Anhalt. de Anno 1611. d. 5. May in §.* vnd ſollen nicht allein/ *&c.* regula ponitur, ut Steuræ, non niſi pro exſolvendis debitis, expendantur, a qua tamen inter alios caſus optimo Jure & ipſa naturali ratione dictante §. Es ſollen aber nachfolgende/ etc. excipit Captum pro S. R. Imperij vel proprij principatus ſalute Principem, redimendum, Et notoriam factam devaſtationem weſſendliche vnd kundliche Landesnoth/ quam paſſo iis ſubveniendum vult *d. Receſſ.* Quod tamen ad juſte incarceratum Dominum Feudi extendendum non eſt *Magniſ. & Nobiliſſ. Dn Ordin. Præſes d. l. Vult. de Feud. l. c. 11. n. 48. Boer. dec. 128. n. 8.* Tandem capti milites proprijs ſumtibus ſe redimere neceſſe habent, ita ut à Duce vel Belli principali id repetere nequeant, quoties enim conducta alicujus opera eſt, isq; inde detrimenti quid vel incommodi ſentiat, & patiatur, vel etiam eas dum præſtat, inſtrumenta fregerit, ſecurus conductor eſt *arg. l. 2. §. ſi conſervatis ff. ad L. Rohd. de Iact.* Inſuper facit, quod hoc conſcriptionis tempore actum credatur, cum qui nomen militiæ dat, nihil facilius vel frequentiùs fieri ſciat quàm hoſtium irruptionem, & inde mortem, facultatum privationem & captivitatem, immò expreſſè ad ſuſcipiendos hoſtium impetus obligatus & obſtrictus admodum arcte eſt, quare & ſtipendia meretur, & quicquid ex hoſtibus cœperit proprium habet ſecundum ea quæ, ſup dicta ſunt. Atq; ita ſi ſe quis nummis redimat, reſtitutus ſtatim eſt, alienis non aliter, niſi expenſum reſtituerit *l. 12. §. 18. de captiv. & poſtl. rev. l. 11. & 17. C eod.* adeo ut eousq; pignoris jure retineatur *l. 2. pr. l. 8. 11. 13. C. eod.* quamvis id non faciat quo minus redemtus uti Jure poſtliminij poſsit, *l. 15. C. de Capt. & poſtl. l. 8. in. fin. l. 11. l. 6. C. eod.* & favore ingenuitatis ſucceſsionem

ſibi

ſibi delatam vindicare,& hereditatem adire poterit, ut ex ea pretium redemtionis expenſum reddat *l. 15 C. de poſtl. rev. add l. 11. & 1 5. eod. & 16. C. eod.* Redemta ingenuum parit. Interdum tamen redimens pretium expenſum Jure amittit, ut ſi redemtam proſtituat *l 7. C. de Poſtl. rev.* Vel ſi alio modo remiſſum videatur liberato, veluti pacto, aut ſi redemtam Uxorem, ducat tunc enim dignitate nuptiarum & voto futuræ juſtæ ſobolis vinculum pignoris remiſſum *l. 13. C. eod.* Redemptus ita, etiamſi liber ante captivitatem fuerit, legari ſibi ipſi poteſt & proficit legatum ad vinculi liberationem, quod in illo is habuit qui redemit *l. 43. § ult. de Leg. 1.* Nec oberit ei, quod liber homo utpote commercio exemtus legari nequeat, quando ut legatum utile ſit, ſufficit ſi Teſtator Jus aliquod, in relegata habuerit *l ſi Dominus 71. § ſi fundus municipum eod.* Caterùm captus pro ſua Redemtione pretium promittens, captori obligatur, nec hac eum obligatione eximit, quod dicat, ſe metu captivitatis id promiſiſſe, cum juſte ei captivitatis timor imminuerit, nec ullus timor ei inferatur ut promittat, ſed ille ipſe timor, quem ex captivitate habebat ei aufertur *Covarruv. Rubr. de Matrim. part 2. §4. n 21. Tom 1. pag. 155.* neq; actio violenta ſed mixta eſt, quemadmodum à Philoſopho edocemur. Dimiſſus pretium promiſſum ſi ſolvere non poſsit redire in captivitatem debet, adeò ut ſi redire nolit, â ſuo Magiſtratu cogi poſsit, jus enim reddere in juſto bello & hoſtis hoſti obſtrictus eſt. Quemadmodum *Gell lib. 8. c. 8.* in Senatu placuiſſe refert, ut ij de decem captivis qui redire nollent, datis cuſtodibus ad Hannibalem deducerentur, quando captivi captori ſub pœna nominis & famæ obligati ſunt, *Mynſ. ad § item e. a 17. n. 1. inſtit. I. de R. D. Schneidw. ibid. n. 2. limit. 3.* Et valet quoq; de Redeundo pactum, de quo *Alber. Gentil de J Bell. d. 2. c. 11.* Neq; tamen etiam ſufficit redijſſe, niſi ita redeat, ut in poteſtate noſtra iterum ſit. Quod ſi tres capti & unus ea conditione miſſus, ut pecuniam pro tribus afferret, & niſi redijſſet, ut duo pro eo quoq; pecuniam darent, isq; reverti noluiſſet, & ob hanc cauſam illi pro tertio quoq; pecuniam ſolviſſent, Servius reſpòndit, æqum eſſe, Prætorem in eum reddere judicium *l. 21. de Neg. geſt.* Et generaliter quicquid convenit ſervandum, non modo à capto, ſed & capiente, unde niſi dolus interceſſerit, etiamſi captivus locupletus ſit, quam creditus, valet redem-

tio

tio, nec ex eo ſolo quod minus æquo pretio promiſit vel ſolvit, reſcindenda, Ad quam redemtionem & ea pertinẽt, quæ celata ſecum captivus habuit, nec à Victore reperta ſunt, ea enim quæ neſcimus, nec poſſidemus, adeoque nec dominium eorum acquirere poſſumus, *l. 3. §. 3. de A. vel. A. poſſ. l. 15. ad Exhib.* Ultimo circa Redemtionem notandum. Primo Redemtos teneri, vel pretium pro redemtione expenſum, Redemtoribus reſtituere, aut laboribus, obſequio vel opere quinquennii, vicem referre beneficii, habituri incolumem, ſi in ea nati ſunt, libertatem *l. ult. C. de Poſtl. rev.* Secundo, illud quod ab hoſtibus revertenti in uſum veſtium aut alimentorum datur non repeti, quod humanitati ſit præſtitum *d. l. ult.* Tertio, ſi vel Actor vel Procurator his contradixerit, non ambigat, dari ſe metallis cum pœna deportationis, quod ſi vero poſſeſſionis Dominus, rem ſuam à fiſco noverit vindicandam, ſeque deportandum, idque obſervent Epiſcopi & Curiales, quod ſi non fecerint, rector in decem libris auri, & apparitores ejus in totidem puniantur *d. l. fin. C. de Poſtl rev.* Quarto ſi in redemtionem captivorum, quædam pecuniæ vel res relictæ vel legitimo modo donatæ ſunt, earum exactio longiſſima eſt, & quanquam Imperatori cordi fuerat, nullis temporum metis hujusmodi actiones circumcludi, ne tamen in infinitum videatur extendere, longiſſimum vitæ hominum tempus elegit, & non aliter eas actiones finiri conceſſit, niſi centum annorum curricula exceſſerint, *l. 23. in pr. & §. 1. C. de SS. Eccleſ.* Huic tamen centum annorum, tandem quadraginta annorum ſubſtituta fuit præſcriptio per *Nov. 111. cap. 1. & Nov. 131. cap. 6.* Ea vero correctio an quoq; pertineat ad legata captivorum redimendorum cauſa relicta, dubium eſt, Nonnulli ex eo id negant quod expreſſe abrogatum non ſit, adeoque priori diſpoſitioni relictum. Econtra alii id affirmant *Cujac. cap. 34. de præſcript.* quorum opinio clare ſatis haberi videtur in *d. Nov. 131. cap. 6. ibi* hoc ipſo ſervando, & in exactione legatorum & hereditatum, quæ ad pias cauſas relicta ſunt. Ita pœna dupli ex inficiatione legatorum piis cauſis relictorum, locum quoque habet in legato relicto pro redemtione captivorum, cum caſus admodum ſit favorabilis *l. 36. C. de donat.*, & magis ferè privilegiatus, quam ipſi Eccleſiæ relictum legatum: cum res Eccle-

ſiaſticæ alias alienari prohibitæ, pro redemtione captivorum poſſint obligari, & diſtrahi *l. 21 C. de SS. Eccleſ.* pœna tamen hæc dupli locum non habet, niſi extra Judicium prius heres interpellatus fuerit, *Bach. de Act. diſput. 5. § 22* cujus contrarium quidem tenet *Jaſon. in § ex maleficiis I. de Act. num 16.* ex eo quod pia cauſa ſicut & Respubl. gaudeant Minorum Jure, quo horum debitores abſque interpellatione moram faciunt, *l 3. C. in quib. Cauſ reſtit. in integ.* Verum quatenus hæc comparatio admittenda, bene docet *Bach. d. l. pag. 194.* Λύτρον denique hoc ſeu pretium redemtionis miles capiens lucratur. Reuterbeſtall. *Maximil. II* zu Speyr *de Anno 1570. art. 95. Heig. ad § item ea I. de R. D. num. 8.* niſi forte captus, vel Dux Belli, vel tribunus militum fuerit, quo caſu tenetur Officialibus captum offerre, recepto præmio quodam Reuterbeſtall. *artic. 90.* V. Permutatione quoque captivitas perſonarum tollitur, Sie werden gegen einander außgewechſſelt in qua plerumque non ſplendor, aut familiæ nobilitas, ſed militaris dignitas attenditur. Dimiſſus ut pro ipſo alter redderetur, mortuo altero, ſine dimiſſi mora vel culpa, & ſi fideliter procuravit, non tenetur redire ad hoſtes.

XXXIII.

Contrarium quoque captivitati eſt Poſtliminium.

Quod Unde dictum *Vid. § 5. I. quib. mod. Jus Pat. pot. toll. ibid. Bachov. pag 145. Cic. in Top. Grot. de Jur. B. & P. lib. 3. cap. 9. § 1. in princ. Gœdd ad l. 164. in pr. num. 6. de V. S.* Deſcribitur alias Jus amiſſæ rei recuperandæ, & in ſtatu priſtino reſtituendæ inter nos & liberos populos, regesque, legibus ac moribus conſtitutum. *Anton Perez in Expoſ. Cod. de poſtl. rev. num. 1.* Vel eſt Jus, quod naſcitur ex reditu in limen i. e. fines publicos; *Grot. d. l.* Vel quo quis ex captivitate hoſtium reverſus in civitatem recuperat omnia priſtina Jura. *Rittersh in Expoſ. Nov. part. 14. cap. 3 num. 1. pag. 711. Hillig. D. E. lib. 2. cap. 3. lit. b.* Latius JC. Paulus *in l. 19. de Captiv. & poſtl. rev.* Poſtliminium, inquit, eſt Jus amiſſæ rei recuperandæ ab Extraneo, & in ſtatum priſtinum reſtituendæ, inter nos & liberos populos, Regesque, legi-

bus

bus ac moribus conſtitutum. Nam quod bello amiſimus, aut etiam circa bellum, hoc ſi rurſus recipiamus, dicimur poſtliminio recipere, idque naturali Jure introductum eſt, ut qui per injuriam ab Extraneis detinebatur, is ubi in fines ſuos rediiſſet, priſtinum jus ſuum reciperet.

XXXIV.
Idque vel ſimplex, vel ex L. Cornelia fictio.

Illud in eum caſum operatur, quo quis reverſus eſt, & facit, ut quis ſemper retro in Civitate fuiſſe, nunquam vero captus videatur *l.6. § ult. de Tut.* Ex L. Cornelia, ut antequam caperetur, eo ipſo momento quo capi debet, fingatur deceſſiſſe, & ita Jure uti, quaſi nunquam captus fuiſſet, *§ ejus qui apud hoſtes I. quib. non eſt permiß. fac. Teſt. l. lege Cornelia qui Teſt. fac. poſſ. l. lex Cornelia 18. de V. & P. S. Gœdd. ad l. 3. axiom. 3. num. 20. & ſeqq. de V. S.* Atque hæc quod Juri poſtliminii defuit ſupplet. *§ ult. ad § 1. I. quib. mod. Jus Pat. Pot. ſolv. num. 4. & 5.* poſtliminium jungit tempus captivitatis & reditus, quaſi intermedium nullum fuerit, Lex vero Cornelia tempus captivitatis & mortis, quaſi eo momento quo captus, mortuus quoque eſſet *Hillig. D. E. d. l.*

XXXV.
Nec modo in Bello, ſed & in Pace locum habens.

In pace poſtliminium his eſt, qui bello capti erant, de quibus ID, (quemadmodum legit *Pet. Fab. 1. Semeſtr. 9. ſequutus Jacob. Cujac. ad l. 5. de pact. & lib. 19. Obſ. 7.* quem ſolum ſibi ait eſſe pro centum millibus) in pactis erat comprehenſum, atque levem hanc emendationem ſuadere videtur ſubjecta ratio, nimirum quod ſpem revertendi civibus in virtute bellica magis quam in pace Romani eſſe voluerint, *l. 12. de Capt. & poſtl. rev.* In pace quoque poſtliminium datum eſt, ut ſi cum gente aliqua, neque amicitiam, neque hoſpitium, neque fœdus amicitiæ cauſa factum habemus: hi hoſtes quidem non ſunt, quod autem ex noſtro ad eos pervenit illorum fit, &

 liber

liber homo noſter ab eis captus ſervus fit & eorum, idemq; eſt, ſi ab illis aliquid ad nos pervenerit, hoc quoq; igitur caſu poſtliminium datum eſt, *l. 5. § 2. eod. Bud. hic.* Item Poſtliminium in Pace eſt in his qui pervenerunt ad alteros, ſi bellum ſubito exarſiſſet, & hi eorum ſervi efficiuntur, apud quos jam hoſtes ſuo facto deprehenduntur, niſi fœdere cautum eſſet, ne eſſet his Jus poſtliminii *l. 12. in pr. de Captiv. & poſtl. rev.* Ex quibus ſequitur bello captis poſtliminium non eſſe, niſi pactis id comprehenſum fuerit. Aliter captis regulariter eſſe niſi contra quid pactum fuerit. *Diſſ. Ant. Fab. Jurispr. Papin. tit. 11. pr. §. Illat. 5.* Ubi ait certum eſſe, nunquam gaudere Jure poſtliminii cui factum ſuum poſſit imputari, huic vero omnino poſſe imputari, quod ad eos profectus fuerit, quos jam hoſtes ſciret, etiamſi bellum nondum exarſiſſet, hoſtes enim non facere bellum ipſum ſed indictionem *l. 24. C. de poſtl. rev.* Sed non videtur ulla ejusmodi imputanda culpa, vel hoc ejus factum publice licitum atque permiſſum in damnum vel incommodum vergere debere, verſatur enim in re licita nec proficiſcitur ad gentem hoſtilem, ſed eam, quæ tunc cum Poteſtate proficiſcentis adhuc pacata vivit, non quæ jam hoſtis eſt, ſed quia ob ortum ſubito bellum (ob arcanas & ſecretiſſimas nonnunquam Reipub. cauſas, de quibus tantum abeſt ut privatis quicquam conſtet, ut raro easdem pauci ex intimis norint) dum ſuum adhuc negotium, cujus cauſa profectus nondum expediit, hoſtis facta eſt, qui quidem recte apud jam hoſtes propter bellum ſubito exortum, ſuo facto dicitur deprehendi, factum tamen tale non eſt, quod ullam mereatur reprehenſionem vel pœnam. Nec etiam ex eo quod poſtliminium in pace habeant, pingvior conditio eorum infertur, & prærogativam aliquam præ in bello captis habent, Quando ob juſtam rationem, hoc quoque caſu poſtliminium ipſis denegari non potuit, quod in his nullum injuriæ conſilium, nulla hoſtilis oppugnatio fingi poſſit, & compoſito bello nihil obtendi, quo minus dimittendi ſint, cum tamen reliquos in bello oppoſitis armis pugnantes contra ſe cœperint, & ex juſta cauſa habeant, quamvis hoc commune Gentium Jus non ſit, quo nemo poſtliminio frui poſſe videtur, niſi in bello captus, vel de quo in Pace cautum aliter fuerit.

XXXVI.

XXXVI.

In bello Jure Poſtliminij gaudent homines, & eo omnia priſtina ſua Jura recuperant.

Ut quis Jure poſtliminij frui velit, neceſſe eſt ut reverſus ſit, & hoſtium poteſtate exemtus, quocunq; tamen modo id factum fuerit, nihil refert, ſive dimiſſus, ſive vi, ſive fallacia, *l.26.h.t.* & eamente reverti debet ad ſuos, ne illò reverteretur, ſed maneat, nam non ſufficit, corpore quem domum rediiſſe, ſi mente alienus ſit *d.l.26.* Quam ipſam ob cauſam etiam in Attilio Regulo reſponſum eſt, non eſſe eum poſtliminio reverſum, quia juraverat Carthaginem ſe reverſurum, nec animum Romæ remanendi habuerat *l.5.§.3.eod.* Similiter ſi ad Regem Socium vel amicum venerunt, ſtatim poſtliminio rediiſſe videntur *l.5.§.3.de Capt. & poſtl. rev.* non quidem ut ab hoſte ipſo in amicam civitatem deducti; ſed ut ipſi vi aut arte hoſtium manus evaſerint. Regulariter itaq; omnes homines, cujuscunq; ſexus, conditionis vel ſtatus hujus Juris objectum *l.19. §.10. h.t. l.26. quib. mod. uſufr. amitt.* Recipitur ſervus ab hoſte manumiſſus *l.12.§ 9.h.t.* quod in hoſtium Jure manumiſsio obeſſe civi noſtro Domino ſervi non potuerit, hoc tamen ſingulare, quod ſervus à Domino recipi poſsit, quamvis non ſeqvutus res noſtras, ſed cum eo conſilio veniſſet, ut ad illos reverteretur *d l.12.§ 9.* Statuliber *d. l.12. §.10.l.9. pr. de Statulib.* Transfuga ſervus *l.51.de A. R. D.* qui poſtliminij Jure Domino redditur *arg. l.19.§.4. & ſeqq. de capt & poſtl. rev.* aut ſupplicio afficitur, quando vero in *d. l.51. de A. R. D.* Transfuga dicitur Jure belli recipi, ea verba *Bach. ad Tr. Val. 2. diſp. 20.th.2.lit.d.in fin pag 186.* de iis accipit, qui ab hoſtibus ad nos transfugiunt, & conſilia hoſtium nobis detegunt, jure belli, id eſt eo non violato, & ſalva fide, quæ etiam in bello & inter hoſtes obſervatur, recipi poſſe, & ita etiam *Cujac. lib.4. Obſ.9.* quod tamen notat *Magnific. & Nobiliſſ. JC. Dn. Præceptor Ungep. Exerc. 4. q.9. in Neg. pag.168* Reverſus Pater, filio interim in Civitate mortuo, omnia bona à filio relicta peculij Jure occupat *l.15. in fin. de Suis & legit.* immo contra petentem id quod medio tempore mutuo datum filio fuit, competit SC. Macedoniani Exceptio cum in pendenti fuerit

ejus poteſtas *l. 1. § 1. ad SC. Maced.* Ex qua patria poteſtate interim ſuſpenſa ſit, ut filiusfam. vel traditione, vel ſtipulatione, vel legato acquirat patri reverſo *l. 12. §. 1. circ. med. de captiv. & poſtl. rev.* Vel etiam ſibi ipſi ſi pater apud hoſtes mortuus fuerit, idq; ideo inprimis locum habere videtur, quod ejusmodi acquiſitio ſemper lucroſa ſit nunquam damnoſa *l. 32. de Mandat.* Hereditas vero cum plerumq; incommoda multa & damna habeat, nec non ſemper acquirentem obliget, etiamſi ſolvendo non ſit, ultra vires etiam hereditatis *l. 39. ſol. mat. l. 8. de A. vel O. Hered. l. ult. C. de Jure delib.* ſi non inventarium confecerit *Nov. 1. c. 1. Tr. Vol. 2. diſp. 12. th. 9 lit. b. Dn. Carpz. part. 3. conſt. 14. def. 14. n. 7.* (ſecus de Jure Sax. quo etiam non confecto inventario tantum pro hereditate tenetur, ſi Jurato Vires hereditatis indicare velit Landr. R. *lib. 1. art. 6. & ibi Zobel. lit. a.* Weichb. *art. 26. in gl. & art. 24. in gl.* ex quo fundamento *Dn. Carpz. part. 3. conſt. 14. def. 31. n. 11. & ſeqq.* de Jure Sax. hereditatem aditam repudiari poſſe infert) à filio adiri nequit, quod iniqvum judicatum fuerit, patrem quandocunq; reverſum, facto filij obligatum eſſe, & poteſtatem pro favore introductam, in odium ejus detorqueri, cum & alias filij aditio absq; præcedente patris juſſu facta nulla ſit *l. 6. l. 25. § juſſum de A. vel O. Hered.* neq; poterit aditio ſuſpenſa hærere, cum qui ſemel factus heres, non poſſit deſinere eſſe heres *l. ait prætor §. ſed quid ff. de Minor.* *Pet. Wesenbec. ad l. 77. de R. J. n. 6*, & aditio hereditatis utpote actus legitimus omnem temporis atq; conditionis adjectionem reſpuat *d. l. 77. de R. J.* tum quod per aditionem eo ipſo momento quo fit, obligationes Creditoribus acquirantur, cum quibus heres quaſi contraxiſſe cum videatur, temere non poterit reſilire. Ex quo & illud inconſequens ſequeretur, ut neminem ſibi obligatum habere Creditores poſſint, quod ſi enim antequam pater redierit, defunctus in civitate filius eſſet, nulla ipſis contra patrem daretur actio hereditatem adire nolentem, neq; contra filium jam defunctum, neque contra hujus defuncti heredes, quos utpote filiusfamilias mortuus habere nullos potuit *l. pen. ff. de Suis & legit.* Gaudent in Civitate concepti & apud hoſtes editi, cum pro natis habeantur conceptionis tempore *l. 7. de ſtat. hom.* & liberi quoq; ſint, non enim debet calamitas matris ſuperveniens ei nocere, qui in utero eſt, & ſufficit

liberam

libertam matrem vel medio tempore habuiſſe, ut liber naſcatur, ex Marciani Reſponſo *l. 5. § 2 & ult. de Stat hom pr I. de Ingen.* quæ tamen libertas ideo in ſuſpenſo eſt, quod apud hoſtes editus, non apud ſuos fuerit, hoc enim caſu eo ipſo momento liber eſſet & ingenuus, quod tamen ab hoſte inhibitum ad effectum deduci nondum poteſt, cum patre tamen revertatur editus, quando ex propria perſona non habet, tum quod nunquam in civitate fuerit, tum quod captus non ſit *l. 1. C. de poſtl rev.* Vel cum utroq; etiam parente *d. l. 1.* Non cum ſola Matre mortuo patre, hoc ſiquidem caſu proles concepta quidem ingenua judicanda ex matris conditione *l. 16. C. eod.* non tamen legitime ſuſcepta, atq; ideo patri non reverſo heres non eſt *l. 25. ff. eod.* Sed matri duntaxat *l. 10. C. eod.* Nimirum fictio Legis Corneliæ, quæ legitimos apud hoſtes defuncto heredes conſtituit, ad eum, qui illuc conceptus eſt non pertinet, cum eo die quo captus eſt pater diem ſuum obiiſſe exiſtimetur *d l 1. C. de poſtl. rev.* Patre cum filio ſimul capto, & patre mortuo, filium reverſum, Lex Cornelia, modo in poteſtate patris captivitatis tempore fuerit, ſuum heredem facit, & huic hereditatem jam ab alio occupatam, reſtitui jubet, ſi non tantum poſtquam reverſus, tempus effluxit, quantum intentionem ejus temporis prolixitate conquieſcere faciat *l. 9. C. de poſtl. rev.* tunc enim reſtitutionem in integrum petit olim intra annum *l 18. C eod.* hodie intra quadriennium *l 7. C. de Temp. in integ. reſtit. l. 6. C. quib. non obji. long temp. præſc.* & licet capti ab hoſtibus nulla bona poſsidere poſsint, & quaſi mortui habeantur *l. recte ex quib. Cauſ. Maj.* attamen Jurisfictione cum ſpe futuri poſtliminij bona ſua retineant *l. 1. § 1. eod.* locum faciunt reſtitutioni. Fallit tamen in iis, qui ſine periculo quidem hoſtium poteſtatem evadere poſſunt, ad ſuos tamen reverti differunt, illi omnino indigni tanto beneficio, quod neceſsitati tantum extraordinarie inſervit *l. quibus diebus de Condit. & demonſtr. Sfort. Odd. de Reſtit. in integ. part. 1. q. 7 art. 7. n. 65.* Itidem Dominus reverſus priſtina ſua jura recuperat, atq; cum ex cauſa peculiari ignoranti poſſeſsio acquiratur *l. 1. § 5. de A vel A. P. l 3. § 12. eod. l 24. l. 44. § 1. eod. l. 16. de O. & A.* Domiuus quoq; cum in eo ſtatu eſſet uſucapere poteſt *l. 23. § 3. Ex quib. Cauſ. Maj. l. 8 de Uſucap.* & Celſus ſcribit, ſi ſervus meus peculiari

liari nomine adipiſcatur poſſeſsionem, id etiam ignorantem me uſucapere, quod ſi non peculiari nomine, non niſi ſcientem *l 2. §. 11. Pro Emtore*, Idq; Jure ſingulari receptum ne cogerentur Domini per momenta ſpecies & cauſas peculiorũ inquirere *l 44 §. 1. de A vel A. P.* Nec facit contra quod poſeſsio plurimũ facti habeat, ea vero in ſervi perſona ſubſiſtere poſſe nõ videantur *arg § 2. I. de ſtip Ser.* & quod etiã in ea animus tenendi requiratur, Cum hæc omnia concurrere fingantur in Domino quoad cauſam peculiarem *per l 1. § 5. de A vel A. P. Bachov. ad §. item nobis acquiritur I. per quas perſ. nob. acquir. p. 592.* propter conſenſum iſtum generalem, quem, dum concedebat ſervo peculium, adhibuit, quæ ratio in cæteris fallit, ita Paulus *in l 1. § 5. de A. vel A. P.* quia noſtra voluntate intelligitur poſsidere, qui ei peculium habere permiſerimus. Ea quæ hactenus ſuperficiarie ſaltem de perſonis adumbrata ſunt, extende ad provincias & Civitates, circa quæ inprimis dubium oritur, An Civitas reſtituta omnia ſua priſtina Jura recuperet? & in ſpecie, an à ſuis debitoribus, ea petere poſsit, quæ remiſſa ac donata à Victore iis fuerint? aſperam & vehementem Quæſtionem eam vocat *Quintilianus lib. 5. c 10* remitto cupidum ad *Hotomannum in QQ Illuſtr. q. 5.* id affirmative decidentem, Et ad *Alber. Gentil. de Jur Bell lib. 3. c. 5.* ubi contra Hotomannum ait, cautius id eſſe tractandum & tam ſecure non definiendum, quod magis placet. Ventilata hæc controverſia fuit inter Thebanos & Theſſalos, Thebani enim à Caſſandro reſtituti, à Theſſalis petunt mutuum ab Alexandro Thebanorum Everſore eis donatum & redditione tabularum remiſſum. Ne prolixius videar qui delibare ſaltem hæc omnia mecum conſtitui tenenda regula eſt, omne quod ante captivitatem habuerint reverſos recuperare, cum ſemper in civitate fingantur, quod ipſum tamen non facit, ut teſtamentum, in captivitate apud hoſtes factum confirmetur, cum apud eosdem geſta aliter non confirmentur, niſi præjacentem aliquam habeant materiam, ex quo Codicilli apud hoſtes facti ſuſtinentur, ſi reverſus antea teſtamentum in Civitate fecerat *l. 12. § 5. de Captiv. & poſtl. rev. Joh. Fab. ad §. ejus qui apud hoſtes I. quib. non eſt permiſ. fac. teſt.* Filius qui Patre vivo captus fuerat poſt mortem patris reverſus ei ſuccedit, in tantum, ut etiamſi præſentes totam inter ſe diviſerint hereditatem, reverſo nihilominus ſuam partem reſtituere cogantur

tur

tur, *l. 1. § 1. de Suis & legit. hered. Excellentiſſimus Dn Chriſtoph. Philipp. Richter JC. & Anteceſſor Jenenſis, Dominus Patronus & Præceptor meus ſummopere æſtimandus in tr. de Succeſſ ab Inteſt. Sect. 1. n. 5. pag. 23.* ubi ex Schur. refert præjudicium huc omnino verbotenus deſcribendum. Habt Ihr vnd Ewre Einheimiſche Geſchwiſter / euch aus Ewres Vaters Erb vnd Gütern/nach deſſelben Abſterben Vertheilet/ vnd Ewren abweſenden in der Türckey gefangen n vnd daſelbſt zu Leibeigenen Knecht verkaufften Bruder/ſeinen Theil nicht ausgeſazt/ vnd aber nunmehr derſelbige wieder heim kommen / ſo ſeyd jhr ſambt Ewren Geſchwiſter Ihm ſeinen gebürlichen Väterlichen Erbtheil zu reichen/zu zuſtellen vnd folgen zu laſſen/ſchuldig/vnd möget Euch darmit/daß er mit Leibeigener Dienſtſchafft behafft geweſt/ dawider nicht ſchützen noch behelffen/V. R. W.

XXXVII.

Non tamen omnes homines, neque ea quæ facti ſunt.

Qui Armis Victus ſe dedit hoſtibus, *l. 17. de Capt. & poſtl. reverſ.* hoſtibus deditus reverſus, nec à nobis receptus *l 4 ff eod.* Transfuga qui malo conſilio & proditoris animo patriam reliquit, hoſtium numero habendus, ſi modo alienæ poteſtati ſubjectus non ſit, quod Si vero ſervus transfugerit, non ejus cauſa, ſed Domino Jus poſtliminii erit, ut Servum recipiat, *l. 19. § 4. & 5. b. t.* Poſtliminio non gaudet, captivus, de quo in pace cautum ut rediret, ſua vero poſtea voluntate apud hoſtes manſit, *l. 20. eod.* Reverſus quidem, ſed animum revertendi ad hoſtes habens, *l. 5. § 3 l. 12 § 9. b. t.* Non recipit reverſus poſſeſſionem, neque enim videri poſſunt aliquid poſſidere, qui ipſi ab alio poſſidentur, adeo ut nova opus ſit poſſeſſione, etiamſi nemo medio tempore res eorum poſſederit, *l. 23. § 1. de A. vel A. P. l 30. § 3. eod. Tr. Vol. 2. diſp. 21 θ. ult. lit. c. l. 11. l. 15. de Uſucap. Meier. in C. A. de A. vel A. P. θ. 25. n. 10. pag. 941. Jaſon. in l ſi is qui pro Emtore. De Uſucap. n. 63. & ſeqq.* ratio vero, quod ea quæ Juris ſunt, ut Dominium Civitas poteſtas, familia, poſtliminii Jure, nobis reverſis reddantur, eſt quod quædam fictio ſit, quæ tantum locum habere, & vim exercere poſſit, in iis quæ Juris ſunt, non vero quæ facti. *Joach. Hopp.*

 de

de Art. Jur. lib. 2 cap. 11. Meier. in C. A. de Capt. & poſtl. rev. th. 5 Jaſ. d. l. n. 65. Poſſeſſio vero plus facti habet, *l. deniq. ex quib. Cauſ. Maj. l. in bello. § facta de Captiv. & poſtl. rev. Jaſ. d. l. & in. l. ſi quis vi. § differentia de A. vel A. Poſſ. Gail. lib. 2. Obſ. 129. num. 3* quapropter captivus poſſidere & Uſucapere in damnum alterius non intelligitur, vel interrupta uſucapio prodeſſe, *d. l. deniq. cum ſeq. Ex quib. Cauſ. Maj.* Stipendia & Donativa temporis quo apud hoſtes fuiſſe te dicis, reſtitui tibi poſtliminio regreſſo reſtitutoque non jure deſideras, *l. 1 C. de Re Milit.* niſi hoc liberalitas principalis ſpecialiter indulſerit, *l. 10 ff. eod.* Maritus reverſus Uxorem niſi de novo conſentiat non recipit, *l. 8. l. 14 § 1. de Capt. & poſtl. rev.* quando id per captivitatem diremtum legitime eſt, *l. 1 ff. de Divort. & Repud. l. 56. ſolut. matr.* ad alia tamen vota non tranſibit mulier recte, dum in incerto eſt, vivat maritus an mortuus apud hoſtes ſit, niſi quinquennium à tempore captivitatis exceſſerit, *l. 6. de Divort. Nov. 22. c. 7. Nov. 117 c. 12. Cuj. ad c. in præſentia. 19. ext. de ſponſal. Matth. Steph. ad Nov. 22. num. 36.* Cæterum maritum in militiam profectum, mulier ſi expectaverat quadriennium, nubere alteri poterat, *l. 7. C. de Repud.* quod mutatum à Juſtiniano in decennium, *Nov. 22. c. 14.* Idem tamen per *Nov. 117. cap. 11.* ſublatum, & ſancitum, ut quodcunque etiam annis abfuerint mariti, expectare uxores neceſſe eos habeant, *Rittersh. in Expoſ. Nov. part. 4. cap. 7. num. 11. pag. 225.* licet neque literas neque reſponſum acceperint, *d. Nov. 117. cap. 11. auth. hodie C. de Repud. Joach. à Beuſt. de Matrim. part. 2. cap. 26.* Et ita quoque à Theologis & Canoniſtis ſtatuitur, non poſſe nimirum alii mulierem nubere, dum maritus vivit, nec de ejus morte fuerit certiorata, *c. in præſentia ext. de ſponſal. c. dominus ext. de Secund. Nupt.* ubi dicitur quod in dubio præſumatur vivus, licet diligenti ejus inquiſitione facta ignoretur, *Panorm. in d. c. in præſentia num. 4.* homo enim ad centum usque annos vivere intelligitur, *l. 76. de Judic. l. 56. de Uſu & Uſufr. legat. l. 23. pr. verſ. & nobis. & § 1. C. de SS. Eccleſ. Nov. 5. cap. 2. § 1. & Nov. 9 Dn. Finckelth. Obſerv. 108. Bach. ad Tr. Vol. 2. diſput. 4. θ. 12.* adeo ut poſterior maritus, reverſo priori reddere teneatur mulierem, quemadmodum ita à Nobiliſſima Facultate hujus loci Anno 1634 pronunciatum refert *Dn. Finckelth. Obſerv. 111. num. 10.* niſi deſertionis proceſſus inſtitutus fuerit.

rit. In Malitioſa deſertione tempus abſentiæ Judicis arbitrio commiſſum per Speciale Elect. reſcriptum *Anno 1608. à Dn. Finckelth. relatum d. l num. 15.*

XXXIIX.

Res quoque Poſtliminio gaudent, & quidem Immobiles omnes.

Adeoque quicunque agri, quicunque fundi, quæcunq; domus recuperata ab hoſtibus fuerit, priori poſſeſſori reſtituenda *l. 20. § 1. de Captiv. & poſtl. rev. l. 26 quib. mod. Uſufr.* nec quicquam Juris quisquam ſibi ea in re, præter priorem Dominum vindicabit. Occurrit Quæſtio, quam Jaſon. *in l 1. C. de Jur Emphyt num. 81. & Valaſc. de Emphyt. q. 27. n. 15. & ſeqq* dubitatiſſimam vocant, Nimirum an pro eo tempore, quo fundus Emphyteuticus apud hoſtes eſt, canonem ab Emphyteuta Dominus petere poſſit? videndum ante omnia inter eos hac de re aliquid pactum ne an fuerit, *§ 3. verſ. & ſi quidem J. de Locat. Cond. l. 1. in med. C. de Jur. Emphyt.* hoc caſu lex conventionis, omnino ſimpliciter ſervanda erit, *dd. ttxx.* quemadmodum & alias, ubi periculum præſtari non ſolet. *l. 23. de R. J.* præſtatur ſpecialiter ſuſceptum, *l. 1. C. commod.* Notandus quoq; rei vel totalis vel partialis interitus, Totalis vel fit, ut penitus rem interire naturaliter faciat, nulla relicta, vel etiam mutata ejus conditione, *l. 36. § 10. ff. pro Soc.* qui utroq; modo ad Dominum ſpectat, *§ 3. I de Loc. & Cond. d. l. 1. C. de Emphyt.* Partialis ad Emphyteutam, quod commoda ad eum ſpectent ideo & damnum, quæcunque igitur ſterilitas, vel quodcunque particulare infortunium acceſſerit, etiamſi omnium fructuum ſit, canon remittitur *Valaſc. de Jur Emphyt q. 27. num 4. & 12. Dn. Carpz. part. 2. Conſt. 38. def 19.*, cum Canon non præſtetur ob uſum & compenſationem fructuum, ſed in recognitionem Dominii, in tantum, ut ſi vel minima pars de Re ſuperſit in ea Dominium hæreat, *Donell. lib. 9. Comm. 14. & ibi Hillig. in not. lit. M.* Ex quibus ſequitur etiamſi irruptione hoſtium, fructuum perceptio impediatur, non poſſe ſe liberare Emphyteutam à Canone, ſecus tamen omnino eſt in caſu noſtro principali ubi fundus iſte Emphyteuticus ab hoſtibus plane occupatus, per eam enim occupationem, cum ſupra per Jura & DD.

 dictum,

dictum, Dominium hoſti acquiri, veroq; Domino auferri, ſi enim non poterit is pro recognitione Dominii, utpote jam mutati, canonem ab Emphyteuta Jure poſtulare, quod nunc penes illum nullum, ſed alium poſſeſſorem & Dominum legitimum habet, qui pro ſuo abſoluto Jure, quod in re occupata habet, pro libitu diſponere poterit, & Eundem Canonem ab Emphyteuta requirere, quem priori Domino quotannis ſolverat, vel plane naturam fundi Emphyteutici mutare, neque obſtat quod recipi Jure poſtliminii poſſit, cum hoc nihil obſtante, perfecte interim hoſti acquiſitum ſit quod occupaverit, ita ſentiunt *Donell d.c 14. & Hillig lit N. Fach lib.1 cont 90. Tr. Vol. 1. diſp. 29. § 7. lit. f & ibi Bachov. Dn. Carpz d l. n 8. & ſeqq.*

XXXIX.

Non ita Indiſtincte Mobiles.

Navibus longis ac Onerariis propter belli uſum poſtliminium eſt, *l.2 in pr. de Captiv. & poſtl. rev* Equus item & Equa fræni patiens recipitur poſtliminio, quod ſine culpa equitis ſe proripere potuerit, *d.l.2.* § 1. Non gaudent piſcatoriæ, aut ſi quæ actuariæ Voluptatis cauſa paratæ ſint, *d.l.2. § 1.* Non arma quippe nec ſine flagitio amittuntur, arma enim poſtliminio reverti negatur, quod turpiter amittantur, *d l 2.* § *2.* Poſtliminio carent Veſtes *l.3.eod.* & regulariter mobiles res poſtliminio carent omnes, niſi quæ ſpecialiter probentur & demonſtrentur exceptæ, Unde ſi quid ab hoſtibus à noſtris militibus recuperatum fuerit, id priori Domino, an absq; pretii refuſione reſtituendum ſit, inprimis videndum, an ea res talis ſit, quæ poſtliminio gaudeat, nec ne, quæ diſtinctio nō modo legibus fundata, ſed & à Pręceptoribus meis honoratiſſimis JCTIS Excellentiſſimis *Domino Ordinario Dn. Eraſmo Ungepaur. Exerc.5 q.5. in Neg. & Dn. D. Godofredo Fibigio in Collegio FrantzK. Exerc.4. ſemidec. q.3. n.8 poſt Gipb.* approbata. Eo caſu nullo reſtituto pretio, ſed gratis recipiet Dominus, quod ſuum fuit, Hoc caſu ſi miles recuperans noluerit, etiamſi à vero Domino pretium offeratur, cogi ad id non poterit, quod ita probari poſſe videtur. Cujuscunq; rei legitime factus Dominus ſum, eam ut invitus vendam, vel alio quocunque modo ut alienem, cogi non poſſum, Rei receptæ cujus poſtliminium nō eſt, legitimus Dominus cōſtituor; E. Major probatur per *l.11. C. de Cōtrab. Emt. & ut*

Impp.

Impp. Valent. Theod. & Arcad. in l. 14. eod. reſcribunt, gravis hæc videtur injuria, quæ inani honeſtatis colore velatur, ut homines de Rebus ſuis facere aliquid cogantur inviti *adde l. 13. eod. & l. 1. C. de Reſc. Vend. Tr. Vol. 1. diſp. 28. th. 3. lit. c.* Minor proſyllogiſmo firmatur, quicquid ſingulis occupantibus cedit, id ſibi præcipuum & proprium habent, ſed res poſtliminio carentes ſingulis occupantibus cedunt. E. Major per ſe certa & per Jura toties allegata ſtat certior, Minor ex eo verificatur, quod eæ res quæ poſtliminio careant, neq; Reipub. vel Ducibus applicentur. Aequius tamen & humanius quoque erit prioribus Dominis, æquo ſoluto pretio, non aliter reſtitui res poſtliminio carentes, absq; pretio ut reſtituant nunquam cogi poterunt. Ideò enim ſtipendia non merentur, ut capta ex hoſtibus, ſua non faciant, cum id ipſis pro ſingulari Reipub. ſalute conceſſum ſit, ut unde honeſtè vivant, habeant, nec ad illicitas amicorum direptiones dilabantur, ut præſentes ſemper ac certi ſint, ad quodvis Ducis dictum audientes nec extra caſtra vagentur. Spes prædæ & præmia meliores faciunt. Non contraria eſt *lex 12. C. de poſtl. rev.* ubi Impp. Dioclet. & Maxim. receptos inquiunt eos, non captos judicare debemus, & militem noſtrum defenſorem eorum eſſe, non Dominum, quæ tantum de ſervis concepta, male ad omnes res indiſtinctè trahitur Adde *DDnnos Præceptores Dn. Eraſm. Ungep. & Dn. Godof. Fibig. dd. ll. Virgil. Pingiz. q. 49. n. 6. Dn. Carpz. part. 4. conſtitution. 35. definit. 8. Diſſ. Dn. Finckelth. Obſerv. Pract. 56.* Illud videtur defendi poſſe, hoſtium res fieri, etiamſi in præſidia deductæ nondum fuerint, cujus effectus eſt, quamvis recuperatæ, prout vel poſtliminio gaudent vel non, precium recuperatoribus præſtandum, nunquam leges ad harum rerum conſequendum Dominium, in præſidia deductionem requirunt, ſed ſemper eæ occupatione dicuntur fieri capientium, quæ pet ſolam poſſeſsionis fit apprehenſionem. Ita Dominium rerum, ex naturali poſſeſsione cœpiſſe, Nerva filius ait, ejusq; rei veſtigium remanere de his, quæ terra, mari, cœloq; capiuntur, nam hæc prorinus eorum fiunt, qui primi poſſeſsionem eorum apprehenderint, item bello capta, & inſula in mari enata, & gemmæ, lapilli, margaritæ in litoribus inventæ ejus fiunt, qui primus eorum poſſeſsionem nactus eſt *l. 1. §. 1. de A. vel A.*

Poſſ. ex quo textu luculentiſsime patet, conjungi à Paulo, occupationem avium, piſcium, prædæ hoſtilis, gemmarum, lapillorum, nemo vero negabit captam feram eo momento meam fieri, & ejus Dominium ſola apprehenſione me acquirere, non verò requiri, ut delata ea beſtia in ædes meas ſit, vel caſulam, quæ ergò contra facient, ne idem de hoſtili præda affirmetur *adde l. 51. § 1. de A. R. D.* Non certè quod Pomponius in *l. 5. §. 1. de Captiv. & poſtl. rev.* tradit, antequam in præſidia perducatur hoſtium, manere Civem, tum quod ibidem de perſonis, iisq; tantùm liberis ſermo ſit, tùm quod non negetur revera captus, ſed ſaltem libertatis favore civis manere affirmetur, idq; Jurisfictione, quæ ultrà caſus expreſſos porrigi à nullo debet. *Jaſ. in l. ſi is qui pro emtore 15 ff. de Uſucap. n. 175. & ſeq.* Nec ullus produci poterit textus, qui res non priùs in hoſtium poteſtate dicat, antequam intra præſidia deductæ, ſed expreſsè potiùs ſola occupatione, quemadmodum lapilli, inventione capientium fieri, quibus contrarium neutiquam eſt, quod antequàm deductæ intra præſidia ſint, recuperari & auferri iterum poſsint, tum quod nullus in toto terrarum orbe etiam ſit potentiſsimorum, qui ita rem aliquàm habeat, ut nullo penitùs caſu ea privari & exui queat, tum quod inter ſe quàm minimè pugnet, eſſe rem aliquam meam, & poſſe me eam caſu aliquo amittere, quomodo JC. *in l. 139. § 1. de R. J.* ait, non videri perfectè cujusq; id eſſe, quod caſu auferri poteſt, cùm id non negetur, quin aufferri poſsit, an verò antequam auferatur iterùm, proprium occupantium non ſit, id quæſtionis eſt, & affirmatum, poterit tamen aliud vel expreſſa lege vel conſvetudine introduci, quemadmodum de hodierna obſervantia in Foro Saxonico teſtatur *Dn. Carpzov. d. l. def. 9.* Cæterùm quam variè circa dubiam hanc theſin DD. ſentiant conſule *Balth. Aiala. de Jur. Bell. c. 5. num. 37.* quem tamen non vidi *Dn. Grot. de J. Bell. & Pac. lib. 3. c. 6. § 3. & c. 9. § 16. Anton. de Gamma. dec. Luſit. 384. n. 3. Alber. Gent. in Advocat. Hiſp. cap. 2 Covarruv. in c. peccatum de R J in 6to part. 2. Relect. § 11 n. 8.* ubi hanc difficultatem appellat, quæ nondum certam definitionem habeat.

XL.

Nunc deniq; quid Lex Cornelia fingat videndum.

Idq; tribus ſaltem verbis, cum abrumpendum, ne contra voluntatem & diſputationis leges, hac mea qualis qualis delibatio prolixior fiat. Conſulit Lex Cornelia iis, qui apud hoſtes ſervi mortui ſunt, hi ſi ante captivitatem in Civitate Teſtamentum fecerint, per captivitatem id irritum fit propter ſtatus mutationem, non enim aliter teſtamenta valent, niſi utroq; tempore & teſtamenti facti; & mortis Civis fuerit *l. 2. § 8. de bon. poſſ. ſecund. tabb.* adeoq; vitio laborabat teſtamentum, quod efficiebat, ne teſtamentum valeret, Ne tamen fortè timidius bellica pericula adirent Cives Romani, ſi per captivitatem ultima ſua elogia irrita ſcirent futura, *Bach. ad § ejus qui apud hoſtes l. Quib. non eſt permiſſ. fac. Teſt. pag. 441.* hac fictione L. Corneliæ factum, ut mortuus eſſe comminiſceretur, eo tempore, quo adhuc Civis eſſet, & heredem habere poſſet *l. 6. § 12. de Injuſt. rupt. l. 12. § 1. l. 22. pr. de Capt. & poſtl. rev.* Et convaleſcit teſtamentum fictione L. Corneliæ quoad omnes effectus, ac ſi mortuus eſſet, præambula hora captivitatis *Paulus de Caſtro in l. lege Cornelia, qui Teſt. fac. poſſ. n. 1.* Tantùm.

Quæ Witteberga tibi, tibi quæ dulciſſime JENA
Credidit, ô Animæ pars adamata meæ,
Hæ pandunt paginæ. Læti gratantur amici,
Gratantur Clari, Numina docta, Chori
Ad juſſum Themidos laurum *tranſmittit Apollo*
Quam poterunt nulli diminuiſſe dies,
Floreat illa precor, multorum germen honorum
Attrahat atq; brevi, Myrthea ſerta ſibi.

Ita intimæ admiſsionis Amico
gratulabundus applaudebat
Johannes Titius J. U. L.
& Conſiliarius Stolbergenſis.

Supplenda & Emendanda.

Th. 10. pag. 3. lin. 33. pro 1594. lege 1495.
Th. 13. lin. 18. pro ϖαιςείας leg. ϖαιδείας
lin. 19. pro ἄιςιος leg. ἀΐδιος
Th. 27. lin. 6. pro locos leg. vicos
Th. 32. pag. 6 lin. ult. pro locupletus leg. locupletior
Th. 36. pag. 4. lin. 25. pro prolixus leg. prolixior
Th. 37. pag. 2. lin. 30. poſt l. 56. inſere de Uſufr. & l. 8.
Th. 38. lin. 22. pro Canon remittitur, leg. Canon non remittitur
Th. 39. pag. 2. lin. 12. pro merentur leg. merent.

Reliqua cujusq; candori comittuntur.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA

Google